

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
MRS. ANNE E. P. SEVER,
OF BOSTON,
Widow of Col. James Warren Sever,
(Class of 1817,)
26 Jan., 1883.

[redacted]

DE

DIONYSII THRACIS INTERPRETIBUS VETERIBUS.

SCRIPSIT

GUILELMUS HOERSCHELMANN

PHIL. DR. PHILOLOGIAM IN ACADEMIA LIPSIENSI PRIVATIM DOCENS.

PARTICULA I.

DE MELAMPODE ET CHOEROBOSCO.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXIV.

FERDINANDO · HOERSCHELMANN

PATRUO · VERE · PATERNO

SACRUM.

Argumenta capitum.

§ 1. **De Dionysii Thracis interpretibus** veteribus accuratius quam huc usque factum est quaerendum esse videtur.

§ 2. In **scholiorum Dionysianorum** fontibus atque auctoribus indagandis et **codices** diligentius excutiendi et de **auctoribus** quae aliunde referuntur dedita opera conquirenda sunt.

Caput I. De Melampode.

§ 3. E **codice Hamburgensi** quos et alii et disputationis auctor fructus perceperint enarratur.

§ 4. Codicis Hamburgensis per tredecim scholiorum paragraphos accurata descriptio, qua praecipue **duos libros** transcriptos esse demonstratur; quorum priori **Melampodis** posteriori **Stephani** nomina nonnunquam praeposita sunt.

§ 5. **De Melampodis**, cuius in quinque paragraphis nomen reperitur, **dicendi genere.**

§ 6. In ceteris quoque priorem librum ei tribuendum esse e sermone efficitur.

§ 7. **Melampodis scholiorum**, quae in paragraphis tredecim reperta sunt, omnium **index.**

§ 8. Ea quae in Hamburgensi ad Melampodem referuntur in altero quodam codicum genere **Diomedi** tribuuntur, ut unum utroque nomine hominem significari pateat.

§ 9. Inter codices **Neapolitanum** a Wachsmuthio excussum et Hamburgensem ea intercedit ratio, ut in hoc scholiorum ordo melius servatus sit, in illo auctorum nomina frustulis saepius addita sint; unde alterum librum Hamburgensem totum esse Stephani perspicitur.

§ 10. **Stephani scholiorum**, quae in tredecim paragraphis exstant, **index.**

Caput II. De Choerobosco.

§ 11. De Choeroboscі libris editis. **Epimerismos in Psalmos** Lehrsius recte ab eo abiudicavit.

§ 12. **Apollonii et Herodiani artes** totam grammaticam comprehendentes Choeroboscum illustraturum fuisse, quod Uhligius contendit, denegatur.

§ 13. Scholia continua, quae in codicis Hamburgensis p. 325 sq. sine auctoris nomine exstant, in Neapolitano tribuuntur **Heliodoro**; qui Choerobosci libros in suos transtulit.

§ 14. Choeroboscus etiam **Hephaestionis** metrici enchiridion interpretatus est, cuius scriptionis relliquiae in scholiis Hephaestioneis servatae sunt.

§ 15. Porro cum in scholiis Dionysianis Choerobosci fragmenta exstare constet, quaeritur num in utrisque scholiis reperiantur quae communem originem arguant.

§ 16. **Heliodori metrici fragmentum** non solum in scholiis Hephaestioneis et veteribus et Saibantianis ac Draconis qui dicitur libro, sed etiam in scholiis Dionysianis superesse demonstratur.

§ 17. De fragmenti Heliodorei argumento in variis libris vel aucto vel breviato.

§ 18. Communem omnium scholiorum fontem fuisse Choerobosci commentarios probatur.

§ 19. Choeroboscus cum Philoponi et Sergii libris usus sit, ipse autem in usum vocatus sit a Melampode Stephano Heliodoro, eorum omnium tempora, quantum fieri potest, certis finibus circumscribuntur.

Epimetrum.

Dionysii Thracis grammatica ante Hephaestionis enchiridion scripta est.

„Multum in explanando eo libro (scil. Dionysii Thracis gramm.) homines potissimum Byzantini desudaverunt, ut vastam scholiorum farraginem rudi indigestaeque moli haud dissimilem qui percurrere voluerit, filum quoddam Ariadneum suo iure circumspiciat.“

§ 1.

De Dionysii Thracis interpretibus omnibus, quorum ad nostram aetatem aliqua notitia pervenit, si quis plene et accurate agere voluerit, non minima quaedam — si dis placet — ei historiae grammaticorum graecorum pars tractanda erit: utilissimi sane neque iniucundi laboris, multis autem eisque nequaquam levibus impedimentis obstricti. Quot enim sunt res, quot nomina scriptorum, quae ne nostra quidem aetate — postquam per tot lustra iunctis viribus et principes artis nostrae et eorum sectarii in hoc litterarum genere operam collocaverunt — ‚aut incerta vacillare aut obscura latere‘ negari possit. Quanquam grato animo profitendum est, fundamentá quaedam eaque firmissima iacta esse, quibus innixi singula quaeque exstruere perpolire absolvere possint ei, quibus haec cordi sint, — ut futuro quodam tempore totam hanc disciplinam eo usque provectum iri, quo in ceteris plurimis iam perventum est, desperandum non sit. Sed hoc ut fieri possit, antea permultae quasi latebrarum tenebrae attenta diligentia et sobrio iudicio perscrutandae erunt, quae tantum abest ut ceteris leviores sint, ut ne ipsae neglectae etiam apricorum illorum camporum pervestigationem pessum daturae sint, verendum videatur.

Cuius generis etiam is locus est, in quem paulo accuratius inquirere nunc nobis proposuimus: non quasi cum pulvisculo quod dicunt exhaurire posse omnia nobis videamur, quae ad rem illam late patentem pertinere scimus, sed ut alia incohemus quae huc usque spreta iecerunt, alia paulo longius producamus, quae inceperunt magis homines docti quam absolverunt. Maxime autem in hac quidem disputationum parte in ipsis scholiis eorumque et auctoribus et fontibus versabimur ex parte indagandis, ne hanc quidem rem ad finem perducturi, sed ea tantum allaturi, quae arte inter se cohaerentia una modici ambitus scriptione complecti posse nobis videbamur. Nam praeter eos, quorum libros in scholiorum collectione legimus, Dionysii interpretes etiam alii haud pauci exstant, quorum ne nominum quidem indicem accurate compositum huc usque habuimus, ut mirari iure possis permulta, quae hic illic ad hanc materiam spectantia a viris doctissimis allata sunt, tantum non omnibus contemptui esse. Quanquam ad historiam olim pertexendam non parvam tulerit instrumentorum copiam, qui vel colligere et disponere voluerit, quae locis diversis illi docuerunt; ut de Moschopulo Ritschelius de Nilo Passovius de aliis alii quae praeceperunt, quis ea sub uno unquam conspectu posuit? Qui quidem quomodo paulatim Dionysii doctrinam verterint auxerint emendaverint, quomodo inter se cohaereant, ut exempli gratia apud Nilum nonnulla reperiamus, quae cum Dionysii versione Armeniaca congruentia sint, — haec omnia observare sane et utile et iucundum est.

Utile et iucundum est; nam quanquam nonnullos fortasse multos esse, qui huiusmodi labores contemnant, tu frustra operam consumpsisse contendant qui in eis

versetur, non sum nescius, tamen minime inutilem esse librorum illorum accuratam investigationem ita persuasum habeo, ut etiamsi res ipsas nullius prorsus momenti esse concederem — quod non concedo, — tamen illam missam non facerem eam ob causam, quia artissima inter hanc et alias litterarum partes necessitudo intercedit neque quisquam eam accurate tractabit, quin etiam ceteris litterarum graecarum partibus aliquid utilitatis allaturus sit, maxime autem pedestris orationis scriptoribus aevi posterioris, qui quantopere doctorum industria et lucubrationibus egeant, ut plenius denique a nobis cognoscantur, in vulgus constat.

§ 2.

Scholiorum in Dionysium Thracem, quae Villoisonus Bekkerus Cramerus ediderunt, quicunque vastam farraginem paulo diligentius inspexit, non dubito quin eis assensus sit, qui filum quoddam Ariadneum, quo duce de illorum et origine et natura rectius iudicari possit, valde desiderari dixerunt. Nam quae in ipsis scholiis adscripta sunt grammaticorum nomina, ea aut prorsus incerta sunt ut Melampodis Diomedis Heliodori, aut sic comparata, ut de diversis hominibus cogitari possit velut Stephani, aut denique eius generis, ut num recte eis scholia singula attribuantur, iure dubitare possis, quorum est Porphyrius.

In hac autem instrumentorum inopia, diligenter circumspiciendum est, numqua fortasse via pateat, quam ingressus, etiamsi non ubique commoda ac plana sit, id tamen assequi possis, ut alicuius saltem scholiorum partis et auctorem cognoscas et ordinem dispicias. Atque patet sane via duplex.

Primum enim ipsi codices si accuratius excussi erunt, non dubito quin multa intellecturi simus, quae antea coniecimus magis quam probavimus: cuius rei exemplum aliis imitandum Prellerus praebuit, cum codicis Hamburgensis paragraphos priores sedulo perscrutatus multo accuratius quam fecerat Bekkerus describeret, ut et quibus locis nomina auctorum adiecta sint et quo ordine singula praecepta sese excipiant, iam rectius intellegamus. Quem qui secuti sunt, Wachsmuthius Uhligius Hartius quid in hac re effecerint, infra indicabo. Unde multa iam edocti sumus, quae antea ignota erant; sed multo plura discemus, si eodem modo omnes codicis Hamburgensis partes descriptae erunt, quam rem aliquatenus infra conabimur, atque etiam alii libri mss. diligenter conlati erunt. Maxime autem Vaticano 14 et Marcianis 489 et 652 idem denique contingere velim, quod ne incohatum quidem est ad hunc diem, quanquam unicum hoc esse iudicandi fundamentum luce clarius est.

Haec una scholiorum melius cognoscendorum via est; alteram qui elegerit, ei non tam ab ipsis codicibus proficiscendum erit quam ab auctorum nominibus, ita tamen, ut quae aliunde de eis nota habemus curiose conquirat ac disponat, indeque utrisque inter se conlatis, quid in scholiorum collectione eis adscribendum sit, via ac ratione diiudicare studeat. Attigit hoc Prellerus in commentatione infra indicanda, quae satis laudari nequit, cum caute temporum ratione habita quasi stemma quoddam grammaticorum conficeret, quod nemo in hisce rebus intentus sine gravissimo studiorum suorum detrimento negleget. Secutus est Elink Sterk, cuius disputationis, quanquam in hac quidem terra eam legere non obtigit, tamen notitiam aliquam Mauricio Schmidtio debeo, qui et ipse solita doctrina in Philol.

VIII p. 243 sq. eandem materiam tractavit. Qui quanquam permulta plene et probabiliter demonstraverunt, tamen alia quaedam reliquerunt, quorum particulam in capite altero exponere nobis proposuimus.

Sed longius etiam quam alterutra via penetrabimus, si utraque consociata primum codicis ope adiuti partem aliquam scholiorum a ceteris segregaverimus, tum vero eis usi, quae aliunde de grammatico quodam effici possunt, ad ipsos scholiorum fontes paulo propius accesserimus. Itaque hoc in animo est, primum **quibusnam finibus Melampodis in Dionysium commentarius contineatur,** accuratius quaerere, tum **quasnam partes in scholiis habeat Choeroboscus** ex alio quodam libro, quem et ipse conscripsit, demonstrare, ut denique **quae inter Melampodem et Choeroboscum ratio intercedat,** penitus perspiciatur; unde etiam de Stephano nonnulla proferre facili opera poterimus, quanquam plenius de eo alias disputandum erit.

Caput I.

De Melampode.

§ 3.

De Dionysii Thracis et grammaticae et scholiorum codice Hamburgensi, quo Bekkerus in edendis scholiis praeter Vaticanum 14 praecipuo usus est fonte (cf. An. Gr. III p. 1136) primus post eum disputavit Prellerus, qui in indice lectionum Dorpatensi a. MDCCCXL multa eaque utilissima ex eo publici iuris fecit; (cf. ‚Ausgewählte Aufsätze' p. 69—93). De eodem codice Uhligius in Mus. Rhen. t. XIX p. 38 n. 8 et Hartius in Annal. Philol. a. 1872 p. 265 nonnulla protulerunt. Denique egregia bibliothecae Hamburgensis procuratoris benevolentia factum est, ut libro in hanc urbem transmisso per aliquot menses uti possem, quam ob rem gratiam ei habeo quam maximam.

Descripserunt codicem universum et Prellerus et Hartius, ut de hac re nihil addendum videatur. Hoc tantum paucis monere liceat, scholia ea, quae Bekkerus edidit, duobus diversis locis in libro ms. legi, cum p. 33—278 alia exstent e multorum commentariis conflata ad totam grammaticam spectantia, p. 325—359 autem sequantur unius cuiusdam grammatici, cuius nomen deest, ad §§ 14—25 scholia continua, quae ceteris sic Bekkerus intexuit, ut singulis grammaticae locis et prioris et posterioris partis

praecepta adscriberet. Quare fieri potuit, ut multis post annis ad unum quendam auctorem haec omnia referenda esse primus pronuntiaret Uhligius; Hartius denique diligenter Anecdotis et codice inter se conlatis, quaenam singula praecepta inde desumpta essent, plene exposuit, in qua re ita versatus esse videtur, ut in eis quae rettulit nihil corrigendum esse codice inspecto profiteat. Uterque alterius huius partis scriptorem esse Choeroboscum sibi persuasit, de qua re infra dicam.

Sed ne priorem quidem partem Bekkerus ea, quae nostra aetate necessaria habetur, curiosa diligentia expressam edidit, sed id unum secutus est, ut commode inter se coniuncta legerentur, quae ad eandem rem spectarent. Tenere me non possum, quin Prelleri de hac re iudicium totum adscribam, praesertim cum id ipsum me, ut hanc quaestionem instituerem, permoverit. Is enim in § 7 haec dixit: ‚Sequuntur deinceps scholia ipsius grammaticae, quae in Ms. non ad singula verba applicata sunt, ut apud Bekkerum, sed ad singulas sectiones, supra scriptis titulis sectionum, plerumque etiam interpretum nominibus appositis. Bekkerus cum hoc ordine eadem lemmata identidem repeti, easdemque res diversis locis tractari videret, ad legentium usum commodius esse ratus, si disiecta componerentur, longiores istos tractatus interpretum discerpsit et frustratim apposuit, ad singula Dionysii verba ex diversis diversorum interpretum explicationibus coagmentans, quae eodem spectarent; quod cum per se audacius factum sit, tum ideo vituperandum videtur, quod nomina auctorum non nisi primis quibusque frustis commentariorum apposuit, in ceteris cui haec in Ms. tribuerentur significare prorsus neglexit.‘ Cui nemo non assentietur,

quanquam Bekkerum eo tempore Dionysium edidisse obliviscendum non est, quo ipsi grammaticorum historiae perpauci incumberent, ut materiae tantum augendae cupidus ingentem librorum ieiunorum copiam percurreret et excerperet; cui labori quanta doctrina grammatica incrementa debeat, grato animo profiteri et, quae ille inceperit producere quam, quae non perfecerit, lamentari satius esse videtur.

Sed ex eis quae adscripsi Prelleri verbis quam maxime necessarium esse elucet, ut denuo codex ille excutiatur et auctorum nomina scholiorumque ordo summa diligentia describantur. Quem laborem ex parte quidem ipse Prellerus suscepit, qui quae a prima usque ad mediam septimam paragraphum in codice legerat, in commentationis § 7 enarravit. Ad finem num pervenerit, nescio; certe neque is neque alius quisquam incohatam operam absolvit; quare oblata codicis inspiciendi facultate operae pretium esse putavi, universa scholiorum series quomodo in Hamburgensi comparata sit, accurate inquirere; unde multo rectius iam, et quinam libri discerpti sint et praecepta singula unde fluxerint, cognosci posse opinor. Quae omnia singillatim persequi cum nunc quidem longum sit, haud absonum videtur quasi specimen quoddam totius laboris proponere, quo unum aliquem commentarium totum a ceterorum reliquiis segregem, in hac autem re omnibus, quae praesto fuerunt, discernendi indiciis uti, ut quaenam omnino huic rationi fides habenda sit, plane perspici possit.

Atque in septem quidem prioribus paragraphis cum ea, quae Prellerus edidit, iterare deberem, quia eis cetera omnia nituntur, ne iteratio prorsus inutilis esset, ipse Prellerus effecit, qui non modo de controversis, quae videri possint,

rebus nonnunquam ita iudicaret, ut assentiri nequeam, sed etiam nonnulla proferret, quae in codice non exstant. Atque errores eius suis locis afferam; de illis autem, quae obiter inspicienti dubia videantur, nunc disputandum est.

Fac exstitisse olim unius commentarii capita haec a. b. c d. e, alterius autem tertium γ prioris tertio sic adscriptum fuisse, ut intercederet *καὶ ἄλλως*. Legebatur igitur in codice antiquiore a. b. c *καὶ ἄλλως* γ. d. e. Postea librarii cum a verbis quae sunt *καὶ ἄλλως* saepius novos continuos commentarios incipere animadvertissent, sic praecepta singula dispescuerunt:

a. b. c.
καὶ ἄλλως γ. d. e.

Denique *καὶ ἄλλως* quasi titulus quidam litteris magnis alteri capiti eique ficticio praepositum est, ut in errorem incidat, qui leviter librum inspiciat. Accuratius autem tractanti plurimis locis dubium esse nequit, quae seiungenda quaeque componenda sint.

§ 4.

Paragraphi **primae** in Hamburgensis p. 101 initium faciunt, quae apud Bekkerum legimus p. 730,5—731,24; 733,13—22 supra scripto titulo *περὶ γραμματικῆς;* in margine autem postea alius adnotavit ‚supra p. 59 Choerobosco subiungitur' h. e. Choerobosci disputationi, quae in Anecd. exstat p. 703—708. Quam licet Choerobosci non esse sint quae indicent, de qua re alias disputabo, tamen in cod. p. 59 verba haec: p. 730,1 *Τῶν δὲ τεχνογράφων* — p. 730,11 *φωνὴ ὑπάρχει* illi ita subiecta videmus, ut ab uno quodam utrumque profectum esse verisimile sit.

Sequitur *εἰς τὸν αὐτὸν καὶ ἄλλως. περὶ γραμματικῆς Μελάμποδος.* Haec apud Bekkerum exstant primo tantum loco addito nomine: p. 731,26—732,2; 733,24—26; 734,17—735,8; 736,5—738,4; 738,16—739,14; 25—33; 740,6—29; 741,6—23; 741,33—742,5.

Tum *περὶ γραμματικῆς;* sed de hoc capite falsam esse Prelleri relationem, quod diu suspicatus eram, postea inspecto codice cognovi; neque enim huc pertinent p. 732,4—733,12, sed haec tantum: p. 732,4—21.

Itaque quartum caput, cui praepositum est *Εἰς τὸν αὐτὸν καὶ ἄλλως,* non a p. 733,27 incipit, sed a p. 732,23. Ceterum huc pertinent: 732,23—733,12; 733,27—734,17; 735,10—736,3; 738,6—14; 739,15—23; (haec Prellerus contra codicis auctoritatem et in hoc et in Melampodis libro scripta esse dixit, quod supra tacite correxi); 740,1—5; 740,30—741,4; 741,24—31: 742,6—9; 659,20—34.

Itaque praeter frustula pauca ex aliis libris mutuata duos habemus commentarios continuos, unum Melampodis alterum auctoris ignoti, h. e. cuius nomen in Hamburgensi desit. Sed quod illum nunc Melampodem dico, quanquam de alio quoque nomine cogitari posse scio, hoc ideo necessarium videtur, ne omnia confundendo nihil efficiamus; itaque de hac re et aliis multis infra dicam, si de hoc codice affatim actum erit.

Ceterum ab uno quodam auctore esse, quae Melampodi in codice adscribuntur, etiamsi testimoniis careremus, ratiocinando intellegere possemus. Velut p. 736,5 quattuor olim fuisse *μέρη τῆς γραμματικῆς* praemisit; tum 737,22 Dionysii septem inde nata esse, quod *τὸ διορθωτικόν* in tria divisisset, adiecit; hoc denique in singulis generibus illustrandis semper diligenter adnotavit: 739,22; 740,29; 741,21.

In paragrapho altera ne ipsi labamur, Prelleri error indicandus est. Nam quod priores duos quattuor grammaticorum libros sic dispescuit:

a) *Περὶ ἀναγνώσεως* p. 743,22—33; 744,25—745,5.

b) *Ἄλλως* p. 743,1—14; 745,6—746,32 e. qu. sq.,

hoc inde factum est, quod *ἄλλως* verbi usum supra expositum neglexit. Nam p. 744,25 — 746,5 et p. 745,6 sq. ab uno quodam scripta esse cum Bekkerus rectissime perspexit, tum argumentis certissimis comprobatur: cf. 744,28 *Ἐν τοῖς μετὰ τοῦτο τὸ ἐπιφέρει ὁρῶμεν τὸ ἐνταῦθα λεῖπον· κατὰ κοινοῦ γὰρ ἐπὶ τῶν τριῶν τούτων τὸ ὁρῶμεν δεῖ δέξασθαι* et 745,6 *καὶ ἐνταῦθα κατὰ κοινοῦ, ὡς προείρηται, τὸ ὁρῶμεν δεῖ δέξασθαι;* denique 745,13 *Ἀποδέδωκεν ἐνταῦθα τὸ ὁρῶμεν, ὅπερ προειρήκαμεν* ..... Haec tam clara sunt, ut ne commemorassem quidem, nisi Prellerum fefellissent; accedit quod in altera scholiorum parte, nisi semper hoc memoria tenuerit, vix quisquam errores gravissimos effugiet.

Itaque primum commentarium haec efficiunt: 743,22—33; 744,12—13; 18, (quod utrumque Prellerus praetermisit); 744,25—745,5 et quae additamentum secuntur: 745,6—746,32; 747,25—750,15; 751,1—7; 751,19—752,3; 752,17—25; 753,21—754,4.

Ex altero desumpta sunt 743,1—14.

E tertio: *Περὶ ἀναγνώσεως* 742,14—33.

Tum in eodem versu, quo postrema verba *τὸν λόγον*, praeterea legimus *καὶ ἄλλως εἰς τὸ αὐτό*, et in margine adpictum est *Στέφανος*. Sed sunt quae suadeant insequentem tantum particulam p. 743,16—21 aliunde inrepsisse atque cetera omnia Stephani esse; utut est, ea quae secuntur unum auctorem habent: 744,1—11; 15—17; 19—23;

747,1—23; 750,17—33; 751,9—18; 752,5—16; 752,27—753,20. Iterum vides duos libros maiores coaluisse eisque nonnulla aliunde accessisse, unum ignoti grammatici alterum Stephani.

In tertia paragrapho *Μελάμποδος περὶ τόνου* antecedit, quod apud Bekkerum legi p. 755,5—13; 29—757,11; 754,10—755,4; 14—27 Prellerus refert. Sed inter partes alteram et tertiam sine dubio *καὶ ἄλλως* excidit, quoniam diversos hos esse commentarios, quicunque obiter inspexerit, cognoscet. Itaque Melampus scripsit 755,5—13; 29—757,11.

Alter quidam 754,10—755,4; 14—27, ut ne hic quidem duos illos scholiastas desideres, quibus tertius accedit Porphyrius, qui in scholiis dicitur: 757,13—32. Hunc autem Porphyrium Platonicum esse, quod sobrio iudicio Prellerus in § 3 negavit, tamen nonnulli etiam atque etiam repetunt, quanquam Philoponum citavit, quem saeculo sexto vixisse constat. (Cf. § 19 huius disputationis).

Inter paragraphos quartam et quintam cum in Hamburgensi non distinguatur, ad utramque pertinent primum,

quae *Μελάμποδος* titulum habent: p. 758,5—759,24; 762,4—12; 763,10—765,22; tum ea,

quibus primo et altero loco in margine adpicta sunt haec: ‚in codice alio *Στεφάνου περὶ στιγμῆς*' ‚Hoc quoque Stephani in alio codice': 759,26—760,8; 760,10—761,18; 761,20—32; 762,14—763,8. Habes Melampodem et scholiastam alterum Stephanum; quanquam altero loco quae leguntur, dubito num omnia ex uno libro fluxerint, quod

spero fore ut ex aliis codicibus olim accuratius definiri possit.

Paragraphi sextae initium facit commentarius paulo maior, quem Bekkerus integrum exhibuit p. 765,27—768,20; cui ex altero quodam frustulum subicitur, quod Prellerus transcripsit.

Ex alio libro fluxerunt, quamvis *καὶ ἄλλως* praetermisso, p. 768,22—769,2.

Tertia submittuntur *καὶ ἄλλως Πορφυρίου* p. 769,4—33; 770,18—772,2 (haec ad insequentem paragraphum spectantia).

In paragrapho septima primus est Melampus, cuius ubicumque nomen adscribitur, librum primum tenere locum iam nunc animadvertas. Nam quod in prima ei Choeroboscus, qui dicitur, antecedit, hoc ideo factum esse patet, quod commentationem de prosodiis haec exceperant indeque cum seiungerentur, non poterant non in initio totius collectionis locari. Sic etiam explicandum, quod unam huius paragraphi particulam ad sextam tractam videmus; sed ubicumque ad singula capita diversos libros librarius exscripsit, primum Melampodis librum adhibuisse videtur tum alterum. Hoc velim memoria teneri.

Μελάμποδος igitur haec sunt: p. 772,27—778,3; 780,7—31; 788,28—789,4; 789,20—790,19; 795,21—26; 796,26—31; 797,15—17; 24—33; 19—23; 798,13—799,27; 801,1—19; 802,1—28; 803,5—15; 803,29—804,32; (quod falso apud Prellerum legitur 803,29—32); 805,4—16; 23—29; 806,14—26; 808,9—809,2; 14—21; 810,5—812,2; 813,19—814,15; 816,11—25; 817,17—819,6. Haec omnia Melampodis esse ante Prellerum ignotum erat; sed hic ille pedem

substitit sufficere arbitratus haec ad id, quod de Bekkero dixerat, affatim probandum. Atque sufficiunt sine dubio; sed ut de interpretibus ipsis plene et sobriè iudicare possimus, etiam ceterae paragraphi eo usque percurrendae sunt, quo Melampodis commentarius deprehenditur.

Ac primum in codicis p. 151 de litteris multa secuntur e multorum libris miro modo conlata et confusa, quae ut in codice legi, sic describam nihil ipse additurus:

Περὶ στοιχείων p. 770,5—16.

Περὶ τῆς τῶν γραμμάτων εὑρέσεως 781,27—782,11; 783,1—784,16; 781,5—25; 782,14—29.

Περὶ γραμμάτων 784,18—785,12, post quae Bekkerus nonnulla omisit partim eis similia, quae p. 782,31—35 edidit: 789,6—10; 12—19; 777,27—779,30. 806,27—808,34; 815,10—816,9; 779,32—37.

Ἄλλως εἰς τὸ αὐτό 786,1—788,15; tum quae apud Bekkerum leguntur p. 781,5—21, sed et multo breviora, ut l. 6—18 desint, et in singulis nonnullis discrepantia; 780,32—781,4; 782,30—783,34; 790,21—25.

Haec vasta farrago quomodo ad pristinam formam redigi possit, non dispicio. Sed quo magis ea confusa est, eo commodius accidit, quod in eis quae secuntur continuum denique commentarium legimus Stephani. *Καὶ ἄλλως εἰς τὸ αὐτὸ Στεφάνου*: quae quo ordine ceteris Bekkerus immiscuerit, diligenter significabo; sed semel monere sufficiat, res parvolas eum non paucas omisisse, ceteris quae antecedunt maximam partem haud dissimiles, quas hoc quidem loco omnes edere putidae magis diligentiae esset quam utilitatem ferret; itaque futuro hoc editori relinquo.

Stephani commentarium Bekkerus discerptum hisce locis edidit: 790,27—791,8; 772,4—8; 791,10—15; 791,18—794,34;

779,1—2; 795,4—10; 788,22—26; 779,4—780,5; 772,10—25; 789,30—32. 792,1—795,2; 795,28—796,25; 796,32—797,14; 798,1—11; 800,1—26; 28—32; 801,20—33; 802,29—31; 802,32—803,3; 803,17—27; 804,33—805,2; 805,18—22; 805,31—806,12; 807,1—808,7; 809,4—12; 809,23—810,3; 812,4—813,18; 814,17—815,8; 816,27—817,7; (817,9—15); 819,8—10. Haec si pauca excipias omnia ad unum librum et pertinere possunt et pertinent; sed unum illud, quod uncis inclusi, eius quod antecedit alteram recensionem praebet. Huic autem librarius non modo recte adposuit *καὶ ἄλλως εἰς τὰ αὐτά*, sed errans adiecit *Στεφάνου*, cuius et ipso titulo et continua lectione intellegitur ea esse quae antecedunt omnia. Itaque sic statuendum videtur. *Στεφάνου*, quod adscribere debebat postremae adnotationi ut interpolationem sequenti p. 819,8—10, librarius perperam ipsi interpolationi praeposuit.

Vides Melampodis et Stephani libros eo quo ubique ordine sese excipientes maiorem materiae partem praebuisse, nisi quod moles illa frustulorum aliunde receptorum interposita est.

In paragrapho octava prioris scholiastae (in codice) haec esse significantur: 819,14—820,22.

Ceteris, quae inverso ordine Bekkerus edidit 821,6—10; 820,24—821,4 in margine additur: *Περὶ συλλαβῆς καὶ ἄλλως. Στεφάνου;* unde etiam id, quod medium esse Bekkerus voluit, Stephano tribuendum est.

Nonae paragraphi partes in Hamburgensi perperam dispositas recte Bekkerus in ordinem redegit; in codice enim sic se excipiunt: *Ἐκ τῶν περὶ μακρᾶς συλλαβῆς* 822,14—

823,14. *Περὶ μακρᾶς συλλαβῆς καὶ ἄλλως* 821,15—822,13; 823,16—824,31. Haec omnia fortasse ab uno quodam auctore scripta sunt; dubitare possis de 823,16—19 et 824,19—31.

De paragrapho decima nihil dicendum est, cum in codice se excipiant 825,5—13 et 15—21 interposito *καὶ ἄλλως*.

In codicis p. 179 paragraphi undecimae initium faciunt omnia quae Bekkerus p. 828,23—835,27 typis imprimi iussit, in quibus perpauca, quae nullius prorsus momenti sunt, omisit; haec ab uno auctore profecta esse nemo, qui diligenter et attente legerit, negabit. Quare plenius distinguendi signum Bekkero non post 830,21, sed ante 828,23 ponendum erat.

Cetera quomodo inter se cohaereant, quanquam non nihil inde disci videbimus in § 17, in Anecdotis prorsus latet. Ac sequitur primum:

Περὶ κοινῆς συλλαβῆς. Καὶ ἄλλως 825,25—31: 826,9—827,24; 828,11—21; 827,26—31; 835,29—836,16.

Εἰς τὸ αὐτὸ καὶ ἄλλως 827,32—828,3; 826,1—8; 828,5—9; ubi nescio, rectene librarius titulum interposuerit, quoniam si 827,32 cum 826,33 contuleris, facile eidem utrumque attribuas.

Secuntur denique in codice p. 187 paragraphi duodecima et tertia decima, non magis inter se disiunctae quam tertia et quarta. Itaque ad utramque pertinent

primum haec: *Περὶ λέξεως* 836,32—837,18; 839,28 32; 840,5—9; 840,28—842,18. Postremae autem partis initium e Vaticano ut videtur Bekkerus supplevit, cum in Hamburgensi desint, quae inter *ὡς* 840,28 et *αὐτοτελῆ* 30 leguntur, ubi lacunam solitis artificiis illud librariorum genus celavit, quod

ne menda quidem codicum integra esse voluit, sed interpolationibus suis obscuravit, ut difficilia perspectu fierent; itaque hoc loco Hamburgensis non *ὡς .. αὐτοτελῆ*, sed *ὡς αὐτὴ τελείαν* (*ἔννοιαν ἔχει*) praebet.

Tum ad utramque spectant alia: *Περὶ λέξεως καὶ ἄλλως* 836,20—31, quorum tamen verba finalia *περὶ διακρίσεως καὶ συντάξεως λόγου καὶ διανοίας* quasi titulus quidam litteris maximis eis quae secuntur praemissa sunt: 837,19—839,26; 840,11—26; 842,19—843,9; 837,31—838,34.

Haec quidem hactenus; longius nunc non progredior, quia libri Melampodei, cuius causa hanc inquisitionem institui, in eis quae secuntur praeter pauca quaedam frustula, de quibus infra dicetur, vestigia exstant nulla. Non quasi nomen eius praetermissum hoc persuaserit, (quod etiam in octo, quas recensui, paragraphis desideratur) sed sermonis dicendique genere infra efficietur ab aliis eum distingui posse. Atque continui eius commentarii hunc finem esse mirari noli; nam ut unus sit libellus Dionysii grammatica, tamen fuerunt qui in duas eam partes prorsus inter se diversas dispertirent, quarum prior (§§ 1—13) in artis prolegomenis, posterior (§§ 14—25) in octo orationis partibus illustrandis versari illis videbatur, qua de re cf. Hartium in dissertatione de Dionysii Thracis grammaticae epitoma p. 12. Quae cum ita sint, si recte quae mox subiciemus disputata erunt, non sine probabilitate inde sequetur, eum sive grammaticum sive librarium, qui primus haec contexuit, in priore tantum grammaticae parte ipso Melampodis libro usum esse, in altera autem frustula tantum e collectione quadam iam antea confecta in suum usum convertisse. Sed ne temere hoc contendere videar, ad id quod gravissimum est accedamus, ut quibus indi-

ciis totum Melampodis librum a ceteris separemus, diligenter ac plene exponamus.

§ 5.

Paragraphorum quinque partes satis et magnas et integras ipsius codicis auctoritate nisi Melampodis esse videmus: 1. 3. 4. 5. 7. Quas si quis accurate inter se contulerit, singulas quasdam neque eas obscuras dicendi proprietates ante oculos versari, ubicumque pedem posuerit, eum non fugiet. Cuius quidem generis illud est, quod Dionysium in ceteris scholiis tantum non semper vel *τεχνικόν* vel *Διονύσιον*, in his autem saepissime simplicissima *αὐτόν* voce significari videmus:

755,13 *αὐτὸς ἐπιφέρει*
762,7 *αὐτὸς ἐπιφέρει*
773,5 *αὐτὸς ἐξέθετο*
774,23 *ὡς καὶ αὐτὸς μετ' ὀλίγον ἐρεῖ*
801,10 *ὅπερ καὶ αὐτός φησιν*
801,18 *ὡς αὐτός φησιν*
802,5 *αὐτὸς οὐ λέγει*
803,9 *ὡς καὶ αὐτός φησιν*
805,5 *αὐτὸς ἐπιφέρει*
806,16 *ἐπιφέρει καὶ αὐτός*
813,23 *ὥς φησιν αὐτός*
816,17 *ὥς καὶ αὐτός φησιν.*

Alterum est, quod hic scholiasta mirabili hercle legentium stupiditatis vincendae studio permotus, innumerabilibus fere locis ea, quae supra disputavit, infra repetit, etiamsi de rebus agit, quae ne verbo quidem ut intellegantur egeant; addit igitur *ὡς προείρηται* vel similia hic ubique, ceteri nusquam fere; quod accurate persequendum est:

736,23	τὰ τῶν προειρημένων	774,20	τὴν ζήτησιν τὴν προλεχθεῖσαν
737,20	ὡς εἴρηται	776,2	ὡς προείρηται ἡμῖν
738,23	ὡς εἴρηται	777,10	ὡς εἴρηται
741,22	ὡς προείρηται	780,13	ὡς προείρηται
742,4	τὰ προλεχθέντα	780,23	ὡς προείρηται
756,30	ὡς προειρήκαμεν	802,9	μεμαθήκαμεν
756,33	ἐμάθομεν	805,25	ἐπάνω εἰρήκαμεν
759,15	ὡς εἰρήκαμεν	806,20	ταῦτα τὰ προλεχθέντα
762,12	ὡς εἴρηται	808,18	ὡς γὰρ προείρηται
763,10	τοῦ λεχθέντος	814,4	μαθόντες
763,12	ἤδη ἡμῖν προείρηται	814,12	ὡς προείρηται
765,15	ὡς προείρηται	816,14	ὡς ἀπεδείξαμεν
773,10	ὡς προείρηται	818,11	ὡς ἔφαμεν.
773,27	ἃ προειρήκαμεν		
773,29	οὓς ἐδιδάχθημεν		

Tertium animadverti velim, neque aliud verbum ullum ab hoc scholiasta, neque ab alio ullo scholiasta hoc verbum saepius in usum vocari quam ἐπιφέρειν a Melampode, ut praeter hoc nihil didicisse videatur. Enumerare taedet, sed utile est; quare habeas exempla omnia:

738,27	ἐπιφέρει	764,19	ἐπιφέρεται
755,13	ἐπιφέρει	764,28	ἐπιφέρεται
759,11	ἐπιφέρεσθαι	764,31	ἐπιφερομένου
762,7	ἐπιφέρει	765,10	ἐπιφέρεται
763,23	ἐπιφέρεται	765,18	ἐπιφέρεται
763,27	ἐπιφέρεσθαι	772,29	ἐπήγαγε
764,7	ἐπιφέρεται	772,30	ἐπιφέρει
764,11	ἐπιφέρεσθαι	772,32	ἐπήγαγε
764,14	ἐπιφέρεται	774,21	ἐπήγαγε
764,17	ἐπιφερομένου	778,3	ἐπήγαγε

789,21 *ἐπήγαγε*
796,29 *ἐπιφέρει*
799,11 *ἐπιφέρει*
805,6 *ἐπιφέρει*
806,15 *ἐπιφέρει*
811,26 *ἐπιφερομένης*
811,27 *τὴν ἐπιφοράν*
811,30 *τὴν ἐπιφοράν*
813,27 *ἀντὶ ἐπιφορᾶς.*

Alia parvola sunt, neque tamen contemnenda, ut haec:

737,12 *εἰ μὴ ἄρα εἴποι τις*
740,10 *ὡς ἂν εἴ τις εἴποι*
758,20 *ὡς ἄν τις εἴποι*
776,5 *ὡς ἄν τις εἴπῃ.*

Accedit quod saepius hic, nunquam fere alii vocabulum quod est *ὁποιοσδήποτε* usurpaverunt: 755,9; 808,16; 810,5; 810,6; 811,23 bis.

Unum addam: ex huius scholiastae magis quam aliorum usu est, si definitionum singula verba explicavit, suis ipsius explicandi vocabulis totas definitiones iterare: cf. 738,1; 738,29; 739,30; 743,25; 773,20 cet.

Omnia huius generis persequi longum est; quae attuli, sufficere videntur, ut levia quaedam exstare signa neque vero obscura demonstrent, quae qui cognita habeat, in aliis etiam, quid Melampodis sit, facili opera odoraturus sit. Sin vero exstiterit, qui ea casui magis quam certi cuiusdam hominis naturae et indoli tribuat, ab eo unum peto, quod antequam me vituperet effecturum esse spero: ut cetera, quaecumque in hisce scholiorum paragraphis exstant, accurate pervestiget; tum vero — pro certo hoc affirmaverim — suis ipsius oculis videbit, quid inter vocabula hic illic prolata et constantem usum intersit.

§ 6.

Iam vero circumspiciendum est, numquid in aliis etiam paragraphis, quod illis simile sit, reperiri possit. Qua in re aliud mihi ansam praebere video, quo ut certissimo investigandi et perscrutandi instrumento usus audacius iam pedem proferre possim. Felicissime enim contingit, ut in aliis nonnullis paragraphis eaedem res, quas in 1. 3. 4. 5. 7. Melampus exposuit, eisdem verbis ut ab ipso auctore disputata iterum afferantur.

Ac primum inspicias, quae paragraphi undecimae scholiasta primus p. 833,31 dixit: *ὡς [γὰρ] ἐμάθομεν ἐπὶ τῆς στιγμῆς, τοῦ δὲ ἐπιφερομένου καὶ μὴ προκειμένου τοῦ μὲν ἡ ὑποτελεία τίθεται.* Doctrina haec est Nicanoris, quam nemo praeter Melampodem exposuit; is autem p. 763,21 haec dixit: *ἡ δὲ ὑποτελεία ... ὅτε ἐπιφέρεται ὁ δέ ἢ ἄλλος τις σύνδεσμος τῶν ἰσοδυναμούντων τῷ δέ* .... et p. 764,5 adicit: *ἡ δὲ πρώτη ἄνω τίθεται* ....., *ὅτε πρόκειται ὁ μέν* ...., *ἐπιφέρεται δὲ ὁ δέ* ....

Praeterea conferas in hac paragrapho eundem p. 831, cum Melampode p. 797,15:

Μακρὰ δὲ λέγεται ταῦτα ὡς παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἐν διπλασίονι χρόνῳ τῶν βραχέων ἐκφωνούμενα	*Προείρηται δὲ ἡμῖν ὡς οἱ παλαιοὶ τὴν μακρὰν ἐν διπλασίονι χρόνῳ τῆς βραχείας ἐξεφώνουν.*

Quae si quis semel adspexerit, num dubitare poterit, quin ab uno auctore scripta sint? Sed alia accedunt multa, quae communem originem arguant; nam idem, quem Melampodis esse exposui, dicendi usus, etiam hic deprehenditur. Ac primum **αὐτός**:

828,24 *αὐτός φησι*
828,29 *αὐτὸς παρέθετο*
828,33 *ὃν καὶ αὐτός φησιν*
829,7 *αὐτὸς παρέθετο*
829,28 *ὃ παρέθετο αὐτός*
830,11 *αὐτὸς παρέθετο.*

Tum *προείρηται*:

829,15 *ὡς προείρηται ἡμῖν*
831,4 *προείρηται δὲ ἡμῖν*
832,9 *ὡς προείρηται*
833,31 *ὡς ἐμάθομεν*
834,7 *μεμνημένος τοῦ προλεχθέντος ἡμῖν λόγου*
834,9 *ὡς προείρηται*
835,10 *ὡς προείρηται.*

Porro *ἐπιφέρειν*:

829,4 *ἐπιφερομένην*
829,9 *ἐπιφερομένην*
829,19 *ἐπιφέρηται*
830,8 *ἐπιφερομένης*
830,12 *ἐπιφορᾶς*
830,17 *ἐπιφερομένης*
830,20 *ἐπιφορά*
831,20 *ἐπιφορᾶς*
831,25 *ἐπιφερομένης*
832,15 *ἐπιφερομένης*
832,28 *ἐπιφερομένων*
833,3 *ἐπιφερόμενον*
833,12 *τὰ ἐπιφερόμενα*
833,12 *ἐπιφορᾶς*
833,13 *ἐπιφερομένη*
833,14 *ἐπιφερομένη*
833,19 *ἐπιφερομένη*
833,32 *ἐπιφερομένου*
834,7 *ἐπιφορά*
834,20 *ἐπιφορᾷ.*

Denique ne quidquam desideres: *ὁποιοσδήποτε* quoque bis legitur 829,20; 830,8 et alterum illud 833,3 *ἀλλ' εἴποι τις*, quocum cf. 833,11; 834,6.

Itaque Melampodis nomen toti illi de decem syllabae ancipitis generibus disputationi praeponendum esse satis ex omni parte demonstratum videtur. Sed quod in litteris

saepe fieri solet, ut unum si constat, alia multa indidem sequantur, id etiam hoc loco animadvertere licet. Ex hac enim undecima paragrapho discimus etiam alterius et sextae primum scholiastam Melampodem esse. Videsis, quomodo in undecima *σκέπτεσθαι* usu nequaquam vulgari usurpatum exstet, ut poeta simpliciter *σκεπτόμενος* h. e. meditans appelletur: 829,24 *τότε τὴν τοιαύτην συλλαβὴν ἔξεστι τῷ σκεπτομένῳ ἀντὶ βραχείας παραδέξασθαι;* 829,12 *ὅταν χρείαν σχῇ ὁ σκεπτόμενος ἀντὶ βραχείας αὐτῇ χρῆσθαι;* 829,15 *πρὸς τὴν χρείαν τοῦ σκεπτομένου;* 829,27 idem; 829,31 *ἡ γὰρ κλε συλλαβὴ* (in *Πάτροκλε*) ... *δύναται τὸ πρὸ αὐτῆς ο ... μακρὸν ποιεῖν καὶ οὐ ποιεῖν, ὡς βούλεται ὁ σκεπτόμενος.* Hoc autem in scholiis me legere non memini praeter primos alterius et sextae paragraphi commentarios; cf. in altera: 751,19 sq. *ἔστι τινὰ ποιήματα, ἃ οὐ μόνον ἐμμέτρως γέγραπται, ἀλλὰ καὶ μετὰ μέλους ἐσκέπτοντο, ἃ καὶ διπλοῦν κάματον παρεῖχε τοῖς σκεπτομένοις τὸ μέτρον σπουδάζουσι διασώζειν .... ταῦτα οὖν τὰ ποιήματα καλεῖται λυρικά, ὡς ὑπο λύραν ἐσκεμμένα καὶ μετὰ λύρας ἐπιδεικνύμενα;* 753,28 singula poesis genera in recitando haud recte observata etiam poetarum virtutes obscurant: *τῶν σκεψαμένων ἀνδρῶν κάματον καταβάλλει εἰς ἔδαφος* et 754,3 *ἵνα καὶ τῶν σκεψαμένων ἀνδρῶν ἡ ἀρετὴ διαφαίνηται.* In sexta denique: 768,7 *ἐπειδὴ δέ τινες τῶν συναγαγόντων τοὺς Ὁμηρικοὺς στίχους πρὸς τὸν Πεισίστρατον διὰ τὸ πλείονα μισθὸν λαβεῖν καὶ ἰδίους στίχους σκεψάμενοι ...., προςέθηκαν.*

Sed ne nimis me credulum dicas, haec quoque inspice:

2.	744,27 *αὐτὸς ἐπιφέρει*	744,27 *ἐπιφέρει*
	745,7 *ὡς προείρηται*	744,29 *ἐπιφέρει*
	745,13 *ὅπερ προειρήκαμεν*	745,15 *ἐπιφερομένων*

745,23 *ὡς προείρηται* 753,24 *ἐπιφέρει*
746,12 *ὡς προείρηται*
749,19 *ὡς μεμαθήκαμεν*
750,4 *μεμαθήκαμεν*
753,25 *ὡς προείρηται*
6. 766,25 *ὡς προείρηται* 767,7 *ἐπιφορᾶς.*
768,6 *ὡς καὶ προείρηται*

quare cum hoc tum maxime priore illo argumento constare mihi videtur prima trium paragraphorum capita ab uno quodam homine conscripta esse.

Accedo iam ad paragraphum octavam, cuius qui primo loco positus est commentarius, quanquam unius paginae finibus continetur, tamen originis indicia servavit. Primum quod paulo ante Melampus dixerat p. 802,15 *εἰ τοῦτο δὲ ἀληθὲς, ὥςπερ καὶ ἔστιν*, idem 820,15 repetitur: *εἰ οὖν τοῦτο ἀληθὲς, ὥςπερ ἔστιν*; cui adde p. 819,23 *ὃ καὶ αὐτὸς παρέλιπεν*; 820,8 *ὡς αὐτός φησιν*; 819,24 *ὡς προείρηκα*; 820,3 *ὡς προείρηται οὖν;* 819,16 *ὡς ἂν εἴποι τις;* 820,8 *εἴποι δ' ἄν τις.* Quae ut in una pagella coacervata sane pro levi argumento habenda non sunt.

Huic autem paragrapho ultra se conferendum praebet primus tertiae decimae et duodecimae commentarius. Nam in octava 820,10 sq. scholiasta exposuerat, Dionysii syllabae definitionem (*σύλληψις συμφώνων* [sic legendum] *μετὰ φωνήεντος ἢ φωνηέντων*) non sufficere, quia singulae tum litterae syllabas conficere non possent; immovero litteram et itidem *τὴν μονάδα* suo iure lamentaturas esse, se cum ipsae ceteris exsistendi facultatem praebuissent, iam e sodalium grege eiectum iri. Huc autem respicitur p. 840,32 *ἀλλ' ὃν τρόπον εἰρήκαμεν τὴν μονάδα μὴ ἐκβάλλεσθαι τοῦ εἶναι ἀριθμὸν, εἰ καὶ μή ἐστι μονάδων σύνθεσις, καὶ*

πάλιν τὴν μονογράμματον συλλαβὴν ....., οὕτω καὶ τὸν ἐκ μιᾶς λέξεως λόγον ..... οὐ δίκαιον μὴ καλεῖσθαι λόγον. Quod paulo immutatum etiam repetit, qui nunquam repetendo sibi satisfecit, p. 841,19. Denique etiam hic in paginis paucissimis Melampodis sermonem agnoscis:

837,5 *ὡς πολλάκις εἴρηται*	842,15 *αὐτὸς ἐνταῦθά φησιν*
840,32 *ὃν τρόπον εἰρήκαμεν*	839,32 *ἐπιφέρει*
841,19 *ὡς οὖν προείρηται*	841,13 *εἴποι ἄν τις.*

Restat nihil praeter paragraphos nonam et decimam; quarum haec praetermittenda videtur, quoniam de versibus pauculis meo periculo iudicare nolim. Nonam autem totam fere Melampodis esse, sunt quae persuadeant: non dico de *ἐπιφέρειν* verbo, quia in hac paragrapho ipse Dionysius eodem usus est. Sed quod 823,13 dicit: *ἀπεδείχθη γὰρ ταῦτα μὴ συγκεῖσθαι ἐκ δύο συμφώνων, ἀλλ' εἶναι μακρὰ σύμφωνα*, spectare videtur ad ea, quae Melampus scripsit p. 813,21: *ὥςπερ γὰρ τῶν φωνηέντων τὰ μέν ἐστι μακρά, τὰ δὲ βραχέα, τὰ δὲ δίχρονα, οὕτω καὶ τῶν συμφώνων τὰ μέν ἐστι μακρά [ἤγουν], ὥς φησιν αὐτός, διπλᾶ, ζ ξ ψ.* Tum 813,30 Melampus, infra in syllabis ancipitibus, decem consonas *ἀπὸ ἡμιχρονίου ἔχειν* se demonstraturum esse confessus est. Haec in undecimo capite perierunt, in nono autem non semel tantum attinguntur ut 821,28. 822,16.

§ 7.

His, si quidem probabiliter disputata videbuntur, ut commode uti possis, omnium quae Melampodis esse contendi scholiorum tabulam subiungam. Sunt enim haec:

§ 1. 731,26—732,2; 733,24—26; 734,17—735,8; 736,5; —738,4; 738,16—739,14; 25—33; 740,6—29; 741,6—23 741,33—742,5.

§ 2. 743,22—33; 744,12—13; 18; 744,25—745,5 745,6—746,32; 747,25—750,15; 751,1—7; 751,19—752,3; 752,17—25; 753,21—754,4.

§ 3. 755,5—13; 29—757,11.

§§ 4. 5. 758,5—759,24; 762,4—12; 763,10—765,22.

§ 6. 765,27—768,20.

§ 7. 772,27—778,3; 780,7—31; 788,28—789,4; 789,20 —790,19; 795,21—26; 796,26—31; 797,15—17; 24—33; 19—23; 798,13—799,27; 801,1—19; 802,1—28; 803,5—15; 803,29—804,32; 805,4—16; 23—29; 806,14—26; 808,9—809,2; 14—21; 810,5—812,2; 813,19—814,15; 816,11—25 817,17—819,6.

§ 8. 819,14—820,22.

§ 9. omnia (?)

§ 10. ?

§ 11. 828,23—835,27.

§ 12. 836,32—837,18; 839,28—32.

§ 13. 840,5—9; 840,28—842,18.

Sed etiam aliud in memoriam revocare huius loci videtur esse. Praeter Melampodis librum in omnibus fere capitibus alium quendam commentarium item continuum exstare ex ipso codice et eis quae attuli facile cognoscitur. Ubique autem priorem locum habet Melampus, posteriorem alter ille, ut probabiliter iam conicere liceat, in priore hac scholiorum parte duos praecipue scholiastarum libros a librario sic adhibitos esse, ut primum singulis locis Melampodem, tum alium illum exscriberet, praeterea autem frustula quaedam undecumque conlecta continuis libris in-

misceret, quae tamen codicis ope facillime a ceteris separari possunt. Quis autem alter ille scholiasta fuerit, iam nunc suspicari potes, infra autem certo argumento probabitur: in quinque enim paragraphis (2. 4. 5. 7. 8.) in codice Hamburgensi Stephanus appellatur, ut — quoniam et eodem loco omnia legimus et universa loquendi et exponendi ratio, (de qua nunc quidem ne longum sit nihil dicam,) unum auctorem testatur — iam nunc coniciam totum alterum librum a Stephano conscriptum esse. Hanc vero coniecturam certam facit codex Nepolitanus Wachsmuthii, de quo infra erit exponendum.

§ 8.

Nam quod huc usque de uno codice Hamburgensi locuti, ea quae ex aliis libris mss. relata sunt, ne commemoravimus quidem, consulto hoc factum. Hanc enim solam esse viam, qua certi aliquid effici possit neque merae et vanae opiniones proferantur, persuasum habeo; quia ex optimo illo codice, satis ut videtur fontium memoriam retinente, nisi pristinae formae effigies quaedam quasi resuscitata sit, vereor ne cetera quae huc usque innotuerunt tenebras depellere non possint. At vero firmissimo hoc disputandi et iudicandi fundamento innixus qui ad cetera accedit, claram inde lucem profundi videt, qua perspicua reddantur etiam illa, quae paulo obscuriora antea latuerunt. Qua de re cum prorsus mecum consentire Wachsmuthium, qui e codice Neapolitano multa edidit, non possim non gaudere, eius verba adscribere liceat, quae in Mus. Rhen. t. XX p. 377 leguntur: ‚Und so wird durch diese Mittheilungen reichliches Material zu einer Scheidung der jetzt wirr durch einander liegenden Scholienmasse geliefert, einer

Arbeit, die freilich ohne neue Einsicht wenigstens der wichtigsten der Handschriften nicht zu Ende zu führen ist, da Bekker ...... Sollte sich Jemand dieser zwar nicht eben erfreulichen, aber doch nützlichen Arbeit unterziehen, so wird es ihm gewiss gelingen, mindestens für den Hauptstock der Scholien die Autorschaft mit Bestimmtheit zu ermitteln und damit einen nicht unwesentlichen Beitrag zu der Geschichte der griechischen Grammatik für die bessere byzantinische Zeit zu liefern.'

Sed antequam progrediamur, unum praemonendum videtur. Rectissime enim Fabricius bibl. Gr. VI p. 309 ed. Harl. in scholiorum libris mss. praeter ceteras etiam hanc confusionem esse perspexit, quod ,quae in cod. Holsteniano (h. e. Hamburgensi) referuntur ad Melampodem, haec in codice regis Angliae, quem evoluit Bentleius, exstant sub nomine Diomedis.' Hoc quam late pateat, iam melius intellegitur, quia etiam plura Melampodi tribuenda esse vidimus. Neque enim in codice tantum Britannico sed etiam in aliis haud paucis idem commentarius, qui in Hamburgensi Melampodis est, totus Diomedi adscribitur, ut duas codicum familias esse, quarum altera Melampodem altera Diomedem exhibeat, tum intellectum iri arbitrer, si accuratius in ceteros codices inquisitum erit.

Certe in Marcianis 489 et 652 Diomedis nomen exstare inde sequitur, quod ex eis nonnulla Villoisonus in Anecdotis publici iuris fecit, quae in Hamburgensi Melampodi aut tribuuntur aut tribuenda sunt. Cf. Villoisoni An. II p. 121 cum Bekkeri An. p. 780,7—31; tum p. 172 cum p. 733,24—26; 734,22—735,8 (quanquam alia ad illustrandum exempla afferuntur); 736,5—737,21; denique p. 186

cum p. 773,21—774,10; quae satis eundem ibi Diomedem hic Melampodem appellari demonstrant.

Eodem spectat, quod e codice Vossiano Valckenarius anim. ad Amm. I cap. XIII scholium Diomedis transcripsit, quod apud Bekkerum p. 788,28 sq. Melampodis esse videbis. Praeterea Diomedis nomen in codice Neapolitano bibl. Augustinens. Joan. ad Carbon. et in Heidelbergensi legi, Fabricius et Harlessius l. c. testes sunt.

Denique in codice Burbonico a Wachsmuthio excusso Melampodis librum Diomedis sub nomine exstare aperte patet.

Itaque cum utroque nomine eundem scriptorem in multis certe codicibus significari constet, pergratum accideret, si vel utrum rectum, vel error quomodo natus sit, certis argumentis demonstrari posset, quod huc usque fieri non potuit. Sed unum tamen reticendum non esse videtur. Nonnunquam enim in posterioris aevi libris graecis Melampodem et Stephanum sic coniunctos appellari videmus, ut in una quadam re utrumque operam posuisse verisimile sit. Quod in schol. Aristot. factum esse iam M. Schmidtius in Philol. t. VIII p. 251 rettulit. Altera accedant Tzetzae scholia in Lycophr. v. 31, ubi etiam Melampus et Stephanus afferuntur. Unde nescio an Hamburgensi et Vaticano 14, e quo illum fluxisse Bekkerus suspicatur, magis quam ceteris credendum sit, cum nullum hucusque locum allatum viderim, quo Diomedes et Stephanus eodem modo coniunctim nominentur.*)

*) Addere mihi liceat, quod de hac re Ludovicus Langius vir doctissimus disputatione lecta benigne mecum communicavit: ‚Auf mich machen diese Scholien des Melampus den Eindruck von Collegienheften. Die Duplicität des Namens würde sich erklären, wenn man annähme, dass einer der Nachfolger des andern sei und das Heft seines Vorgängers

Sed hoc loco denique unum afferendum est, quod satis mirandum videtur. Nam quod Mauricius Schmidtius l. s. s. p. 250 se animadvertisse ait, in extrema tantum codicis Hamburgensis parte nonnunquam Diomedis nomen afferi (935,10; 937,26; 941,13; 946,14; 947,5; 954,4; 957,7; 965,8; 967,14; 970,19), id quo spectet, tum demum cognosces, si pauca haec frustula eiusdem libri esse perspexeris, quem continuum in priore scholiorum parte exstare exposui. Nam Diomedes iste, ubi p. 967,19 se ipsum exscripsit: *ὡς καὶ μεταξὺ τῶν δύο λόγων τὴν ἐνυπόκριτον στιγμὴν τίθεσθαι, ὡς καὶ ἐν τῷ περὶ στιγμῆς εἴρηται ἡμῖν*, sine ulla dubitatione ad ea respexit, quae Hamburgensi teste Melampus p. 764,23 sq. scripserat: *ἡ δὲ ὑποστιγμὴ ἡ ἐνυπόκριτος τίθεται .... ἐν ταῖς ὀρθαῖς περιόδοις, τουτέστιν ὅτε πρόκειται τὸ ὄφρα ἢ τὸ ἦμος, ἢ τὸ ὅτε ἢ τὸ ἕως ἢ τὸ ὅπου, ἐπιφέρεται δὲ τὸ τόφρα, τὸ τῆμος, τὸ τότε, τὸ τέως, τὸ ἐκεῖ καὶ τὰ ὅμοια* ... Accedunt *αὐτός φησι* 967,16 et alia eiusmodi nota iam Melampodei sermonis signa. Mirum certe hoc est, sed non eius generis, ut nullam explicationem admittat.

Nam uberius olim demonstrandum erit, nequaquam similem esse prioris et alterius scholiorum partis condicionem in codice Hamburgensi; illa enim maximam partem integra fontium capita praebet, ut integris libris eum, qui congeriem condidit, usum esse manifestum sit, — altera magis ad simili-

benutzt habe. Es ist das freilich zunächst nur eine Vermuthung, die aber um so mehr zu erwägen sein möchte als unzweifelhaft auch andere byzantinische Producte Collegienhefte sind.‘ Hoc ab eis maxime memoria teneri velim, quibus alterius familiae codicum inspiciendi facultas, mihi non concessa, oblata erit. Tum utrisque codicibus inter se conlatis fortasse hac via rectissime difficultates tolli posse apparebit.

tudinem editionis Bekkerianae accedens plurima excerpta diminuta multifariam inter se confusa exhibet, ut in hac parte eundem librarium non integros libros, sed excerptorum collectionem ad manum habuisse probabile sit. Qua re nimis mirari nolim, quod factum esse videmus, in priore parte ipsius Melampodis librum exhaustum esse non multis, ut opinor, omissis; in alteram autem scholiorum farraginem quandam receptam esse earum similem, quae etiam nunc exstant, in qua non Melampodis, sed Diomedis nomen libri illius fragmenta prae se ferrent. Accedit quod nonnulla sed pauca praeterea Melampodis fragmenta in hac parte dispersa sunt, quibus nullum omnino nomen adpositum sit; de eis dicam, si uberius de tota altera parte disputabo.

Iam vero ad codicem Neapolitanum progrediamur, ut quid inde sententiae supra expositae emolumenti capiant cognoscamus.

§ 9.

Ac primum Melampodem Hamburgensem in codice Neapolitano semper Diomedem vocari modo dixi; itaque si ea, quae Melampodis esse coniciendo effecimus, in hoc libro Diomedi adscripta videbimus, novum hoc idque satis certum testimonium habendum erit, ad unum illum librum, quisquis eum scripsit, haec omnia referenda esse.

De universo autem hoc codice dicendum est, praestantiam eius in hoc potissimum positam esse, quod quinam auctores singulis scholiorum capitibus materiam suppeditaverint, rectissime in eo traditur, accuratius etiam quam in Hamburgensi, ubi nomina saepe praetermissa sunt.

Contra ipsum scholiorum ordinem, quem praeclare

Hamburgensis retinuit, in Neapolitano miserrime eversum esse patet, ut nihil fere suo loco legatur, omnia inter se confusa fragmentorum rudem molem praebeant, e qua pristinos libros contexere nisi aliis instrumentis adhibitis nemo possit.

Quod quoniam constat, per se iam perspicitur, summa in scriptorum nominibus cautione opus esse, ne in errores incurramus; nam singulis scholiorum frustulis ubi nomina apposita videmus, semper fere recte apposita sunt: at vero permultis nullum adscriptum est nomen, ut si A et B litteris ipsos auctores, a et b autem libros eorum significemus, talem fere scholia speciem habeant:

A: a b b a b

B: b a b a a

Unde hoc ante omnia monendum est, ne ea quae singula nomina secuntur cuncta ab uno profecta esse arbitreris. Accedit quod paucissimis locis ipsa nomina a scholiis antecedentibus ad insequentia et vice versa aberraverunt; quod si nunquam factum esset, librarios eos fuisse cognosceremus, qui illis quidem saeculis nusquam exstabant.

Haec praemonenda erant; quibus si quis prudenter usus erit, gravissimam ei ad scholiorum originem perspiciendam Neapolitanus opem afferet. Cuius nobis praeter Melampodem praecipuus fructus is esse videtur, quod per omnes sex paragraphos, quarum accuratam descriptionem Wachsmuthio debemus, alterum illum, quem a ceteris separari posse vidimus, commentarium Stephani esse, inde elucet. Idem cum de §§ 7 et 8 etiam ex Hamburgensi doceamur, vix cuiquam audacius videbitur, si quod de octo paragraphis constat, etiam de ceteris, ut simillime comparatis, verisimile esse censemus.

Quare necessarium videtur omnium, quibus in Neapolitano nomina adscripta sunt, locorum tabulam proferre eamque cum eis quae ipsi effecimus accurate conferre; in qua re ita versabimur, ut Melampodis et Stephani nomina A et B litteris significemus, Neapolitani autem codicis nomina, si cum nostris consentiunt, litteris currentibus quae dicuntur scribamus, ut in quibus rebus consentiant codices facile cognoscatur. Sed quod silentio omnia praeteribo, quae ad rem non faciant, neque praeter nudos numeros quidquam adiciam, vix quisquam vituperabit.

§ 1.	*Diom.*	731,26—32	A
		732,7—11	?
		732,13—21	?
	Steph.	732,23—733,12	B
	Diom.	733,24—26	A
		733,28—734,17	B
	Diom. et Steph.	735,15—736,3	B
		736,4—737,26	A
	Diom.	737,27—738,4	A
	Steph.	738,10—14	B
		738,17—739,14	A
	Diom.	739,25—33	A
	Diom.	739,16—20	B
		740,3 5	B
		740,10—25	A
	Steph.	740,30—741,4	B
		741,7—23	A

Omnia, ut vides, plana et aperta sunt praeter duas difficultates, quae facile expediri possunt. Primum enim ad p. 735,15 scribendum non erat ***Διομήδους καὶ Στεφάνου***, sed ***Στεφάνου καὶ Διομήδους***, quoniam antecedit ille, se-

quitur hic; neque errorem magis hunc dixerim quam levem quandam neglegentiam. Tum semel duo nomina coniuncta a scholiis superioribus ad inferiora, quae mox secuntur, delapsa esse in propatulo est, cum non ad p. 739,25 et 739,16, sed ad 738,17 et 739,25 Diomedis nomen spectare ex integra Hamburgensis scholiorum serie efficiatur.

§ 2.	Diom.	741,24—31	B
		742,6—9	B
	Steph.	742,14—32	B (si recte supra conieci)
		743,16—21	B (?)
	Diom.	746,1—21	A
		747,6—9	B
	Diom. et Steph.	749,27—33	A
		. . . .	.
		750,30—33	B
		749,32—750,4	A
	Diom.	751,5—7	A
		751,11—13	B
	Diom.	751,19—20. 23. 24	A
		752,7—16	B
		751,27—752,3	A
		752,17—25	A
		753,21—754,4	A
	Steph.	753,7. 9—13	B

Nihil monendum praeter hoc: p. 741,24 sq. perperam Diomedi adscribuntur, cum in medio Stephani commentario legantur, unde evelli nequaquam possunt; sed ut mendi originem perspicias, neglegere noli iam duas, quae primae sunt, adnotationes perperam in hoc contextu positas esse, cum ad primam paragraphum pertineant, ut etiam de nomine erratum esse minus mirandum sit. Ceterum scholium

prius Stephani esse, etiamsi testimoniis destituti essemus, certis argumentis demonstrari posset, quod exponere longum est.

§ 3. Antecedunt multa sine nomine; tum omnia recte:

	Steph.	755,16—27	B
		757,13—28	A
	Diom.	755,33—756,8	A
	Diom.	756,8—12; 4—8; 15—19	A
		756,30—757,11	A
	Diom.	756,15—28	A
§ 4.		757,5—17	A
	ἄλλου.	759,26—760,8	B
	Steph.	760,10—761,18	B
	Περὶ στιγμῆς	758,6—17	A
	Περὶ στιγμῆς	763,15—28	A
		764,5—765,22	A
	Diom.	758,20—29	A

Recte ad p. 759,26 *ἄλλου* adpositum est, cum Melampodem sequatur Stephanus. Quod bis *Περὶ στιγμῆς* legitur, ad Melampodis hoc doctam disputationem spectat.

§ 5. In hac paragrapho gravior difficultas inesse primo tantum adspectu videtur; nam accuratius qui inquisiverit, is non modo difficultatem tollere sed etiam aliud discere poterit. Nam eis, quae apud Bekkerum p. 762,14—763,8 exstant et Stephani esse videntur, praescriptum est in Neapolitano: *διομήδους* ∵ *στεφάνου* ∵, ubi primum animadvertas deesse *καί*, quod alias interponitur; unde conicere possis ad id, quod antecedit, pertinere *διομήδους*; antecedunt autem quaedam a Wachsmuthio edita, quae et ipso sermone Melampodem arguunt (*αὐτὸς ... ἐπήγαγε, καὶ αὐτὸς ἐπιφέρει*) et eis similia sunt, quae adscripto nomine in Hamburgensi Melampodi tribuuntur

p. 762,4 et 12, nisi quod prima verba in fine posita (ἰδού, τῶν δύο μέμνηται) et nonnulla de interpunctionis tempore multo subtilius exposita videmus, ut aut in Hamburgensi Melampodis verba breviata aut in Neapolitano interpolata esse luce clarius sit; nam ex uno quodam fonte utrumque derivandum esse et res et sermo testantur; neque quomodo in describendo et ipsi grammatici veteres et librarii singula augendo minuendo immutaverint, ignotum est.

§ 6. *Diom.* 765,28—766,3 A

. . . .

Steph. 768,22—769,2 B

τοῦ αὐτοῦ 769,4—14 Porph.

Diom. 766,10—767,3 A

Ab uno auctore et 769,4 sq. et 768,22 sq. scripta esse neque propter Hamburgensis auctoritatem concedendum neque per se ipsum credendum est; quod nemo, qui utrumque legerit, negabit. Sed quomodo error invaserit, ne hic quidem prorsus latet; nam Porphyrii, cui in Hamburgensi adscribitur alterum, nomen cum in Neapolitano nusquam reperiatur, ipse librarius, quem scriptorem legeret, nescivisse videtur; quare id quod nullo auctore allato Stephanum sequi videbat, ab eo conscriptum esse facile sibi persuadere poterat.

Denique bis praeterea Stephani in Neapolitano mentio fit, primum in § 7 ad p. 795,31—796,9, quae etiam Stephano tribuit Hamburgensis; tum in § 11 ad verba quaedam, quae quanquam prorsus similia in Hamburgensi non leguntur, tamen ex eis, quae p. 835,29 sq. legimus, breviando excerpta esse et Wachsmuthio, nisi fallor, visa sunt neque cuiquam non videbuntur. Atque haec quoque in undecimae paragraphi libro altero legi supra dixi, ut

etiam firmius quam supra nunc contendere et pronuntiare possim, alterum continuum librum in cod. Hamburgensi per paragraphos tredecim priores totum esse Stephani.

Abunde iam demonstravisse mihi videor, quaenam ratio inter utrumque codicem intercedat: nam si nomina praebet Neapolitanus, quae omittit Hamburgensis, scholiorum autem ordinem retinet Hamburgensis, quem evertit Neapolitanus, quis et nomina et ordinem in pristinam integritatem revocari posse negabit? Tum vero valde optandum esse videtur, ut novam aliquis scholiorum editionem parare velit, qui etiam pluribus subsidiis, quam mihi uti licuit, instructus talem edat libellum hunc lectu dignissimum, qualis legi possit, in quo et menda turpissima, quae nunc innumerabilia sunt, sobrio iudicio sublata et scriptorum illorum, quibus Apollonianae doctrinae magnam partem debemus, nomina immeritae oblivioni erepta sint.

§ 10.

Denique finem faciat scholiorum, quae in hisce paragraphis Stephani esse videntur, omnium index:

§ 1. 732,23—733,12; 733,27—734,17; 735,10—736,3; 738,6—14; 739,15—23; 740,1—5; 740,30—741,4; 741,24—31; 742,6—9; 659,20—34.

§ 2. 742,14—33 (? cf. § 4); 744,1—11; 15—17; 19—23; 747,1—23; 750,17—33; 751,9—18; 752,5—16; 752,27—753,20.

§ 3. 754,10—755,4; 14—27.

§ 4. 759,26—760,8; 760,10—761,18; 761,20—32 (?)

§ 5. 762,14—20 (?); 762,23—763,8.

§ 6. 768,22—769,2.

§ 7. 790,27—791,8; 772,4—8; 791,10—15; 791,18—794,34; 779,1—2; 795,4—10; 788,22—26; 779,4—780,5; 772,10—25; 789,30—32; 792,1—795,2; 795,28—796,25; 796,32—797,14; 798,1—11; 800,1—26; 28—32; 801,20—33; 802,29—31; 802,32—803,3; 803,17—27; 804,33—805,2; 805,18—22; 805,31—806,12; 807,1—808,7; 809,4—12; 809,23—810,3; 812,4—813,18; 814,17—815,8; 816,27—817,7; (817,9—15); 819,8—10.

§ 8. 821,6—10; 820,24—821,4.

§ 9. (823,16—19?) (824,19—31?)

§ 10. ?

§ 11. 825,25—31; 826,9—827,24; 828,11—21; 827,26—31; 835,29—836,16. (827,32—828,3; 826,1—8; 828,5—9?)

§ 12. 837,19—839,26.

§ 13. 840,11—26; 842,19—843,9; 837,31—838,34.

Caput II.

De Choerobosco.

§ 11.

Omnium, quorum in scholiis Dionysianis nomina leguntur, interpretum nemo fortasse aptior est, de quo peculiari scriptione agatur quam Choeroboscus, quoniam neque testimoniis ad aetatem spectantibus prorsus destituti sumus neque de librorum ambitu et consilio tam pauca relata sunt, quin de commentario quoque in Dionysium scripto certius iudicari possit. Exstant enim praeter parvola quaedam scripta, ab Aldo maximam partem edita, praeterque alia haud pauca e bibliothecarum tenebris nondum protracta, quorum indicem confecit Gaisfordius Dict. in Theod. p. V, libri duo, qui luce donati studiis grammaticis multum utilitatis attulerunt. Quorum quae priorem locum obtinent, Dictata in Theodosium a Gaisfordio edita insigni veterum grammaticorum scientia excellunt, ut quantam celeberrimo Herodiani sospitatori materiam suppeditaverunt, eandem non dubitem quin futuris Apollonii editoribus, (quos operam suam multis exspectatam nondum absolvisse aegre ferimus,) subministratura sint. Nam de Epimerismis in Psalmos, qui tertio editionis Gaisfordianae tomo continentur, recte, ut opinor, Lehrsius in Anal. Herod. p. 439 not. sic statuit, ut ab Herodiano eos abiudicandos esse censeret; cui

adstipulatus est Lentzius in praef. Herod. p. CCIV magis propter ‚dicendi rationem, quae magistrum infimae notae prodat', quam propter res a Choerobosci doctrina abhorrentes. Quanquam inesse videntur nonnulla aliena ab eis, quae aliunde novimus, Choerobosci praeceptis; ut p. 54,27 *μεσότητος ἐπιρρήματα* vulgarem opinionem secutus ea dixit, quae *μετὰ ἀρσενικοῦ καὶ θηλυκοῦ καὶ οὐδετέρου κεῖνται*, quod contra in scholiis Dionysianis p. 940,26 Choerobosci nomine adscripto haec leguntur; *μέσα γὰρ τρόπον τινὰ ὀνομάτων τε καὶ ἐπιρρημάτων· τὰς μὲν γὰρ ὑπάρξεις ἐξ ὀνομάτων ἔχουσι, τὰς δὲ καταλήξεις καὶ συντάξεις ἐξ ἐπιρρημάτων.*

Alterum Choerobosci librum Cramerus Anecdotorum Oxoniensium volumini alteri inseruit: Orthographiam, quam valde mutilatam inque breviorem formam redactam esse et ex ipso titulo intellegitur et aliunde satis probari potest.

Quae vero praeterea Choeroboscus scripsit, eorum feliciter accidit, ut et ipsius et aliorum testimoniis usi memoriam propemodum restaurare possimus. Cf. praeter Gaisfordium l. s. s. Uhligium in Mus. Rhen. t. XIX p. 38 et t. XXV p. 71 et Hartium in Annal. philol. a. 1872 p. 268 sq.; qui quae docuerunt, eis nonnulla iam adicere liceat.

§ 12.

Choeroboscum commentarium in Dionysium Thracem scripsisse constat; cuius cum in Dict. p. 692,7 ipse mentionem fecerit, ordinem eum in utroque libro illustrando non alium tenuisse ac res flagitabat, inde cognoscitur; nam Theodosii canones in magistellorum Byzanti-

norum scholis quasi appendicem excepisse Dionysii artem satis comprobatum est. (Cf. praecipue Lehrsium in Anal. p. 438 et memorabilem quem exscripsit Tzetzae locum). Ex ipsis autem Dictatis discimus post libellos illos magis puerorum quam hominum doctorum usui accommodatos etiam summorum grammaticorum scriptis similem eum interpretandi operam adhibiturum fuisse; ut saepissime de singulis rebus *ἐν τῷ ὀνοματικῷ Ἡρῳδιανοῦ, ἐν τῷ ῥήματι Ἀπολλωνίου*, semel p. 817,1 *ἐν τῷ περὶ συντάξεως Ἀπολλωνίου* se accuratius acturum esse pronuntiavit.*)

Haec omnia satis constant. Ultra autem progressus Uhligius in Mus. Rhen. t. XXV p. 71 totas quasdam Herodiani et Apollonii *τέχνας* Choeroboscum interpretaturum fuisse inde effici putavit, quod in schol. Dion. p. 920,14 Choeroboscum, qui ei videtur, haec scripsisse animadverterat: ... *μαθησόμεθα προςέχοντες ταῖς βιωφελέσι τέχναις τῶν μεγάλων τεχνογράφων Ἡρωδιανοῦ καὶ Ἀπολλωνίου;* sic enim ipse scholiastae verba, quae corrupta erant, restituit. Hoc num Choeroboscus scripserit, nunc non quaero; taceo etiam de controversia illa, scripserint huius generis *τέχνας* Herodianus et Apollonius necne: hoc unum perpendi velim, rectene e loco illo effici videatur, totas quasdam artes illustrare in animo habuisse scholiastam. Negavit hoc etiam Lentzius in praef. ad Herod. p. XXXIV, qui *τέχνης* nomen sic explicari voluit, ut illum ‚brevibus summorum technographorum opera significare' statueret.

---

*) Quos locos omnes, nisi fallor, Gaisfordius in indice congestos exhibet, nisi quod alios etiam immiscuit, ubi de ipsis grammaticis magis quam de commentariis suis ille loquitur, ut p. 197 s. v. *ἐν προοιμ. β' τοῦ Ῥηματικοῦ* 503,15 et p. 210 s. v. *ἐν Ὀνοματικῷ* haec: 16,17. 35,6. 232,27. Nihil autem desidero.

Cui Uhligius l. s. s. opposuit, nullum eo usque locum allatum esse, quo similiter quisquam *τέχνη* vocabulo usus esset. Hoc autem nunquam factum esse negaverim. Nam quod in Choerobosci Orthographia quamvis truncata hodieque legimus de *εἷα* particula p. 213,14, plenius exhibitum idem in Etym. Magno p. 294,43, id etiam Eustathius p. 107,29 transcripsit hisce verbis usus: *σημείωσαι δὲ, ὅτι κατὰ τὴν τέχνην τοῦ Γεωργίου προπερισπᾶται τὸ ῥηθὲν εἷα, εἰπόντος ὅτι ..;* secuntur ea, quae in Orthographia exstant, ut ad hanc ipsam spectari vix negare possis.

Ceterum ex hoc ipso loco id quoque intellegitur, quae inter pleniorem et eam, quam nos legimus, Orthographiam ratio intercedat, cum Euripidis fragmentum rem illustrans, quod inde sumpserunt Etymologus et Eustathius, abscisum, res autem ipsa integra servata sit. Praeterea et Euripidis et fabulae nomina Eustathius servavit, reiecit utrumque Etymologus.

Sed si quis fortasse Eustathium, e quo libro locus fluxisset nescientem, *τὴν τέχνην* apposuisse sibi persuadeat, suo hoc periculo faciat. Mihi, cum Eustathium satis in Choerobosci scriptis versatum fuisse constet, nequaquam dubium videtur, quin *τέχνη* vocabulo ‚brevibus eius opera significare‘ voluerit ipsius libri nomine praetermisso. Itaque *τέχνας* quasdam omnia complectentes Apollonii et Herodiani Choeroboscum vel illustrasse vel illustraturum fuisse nullis indiciis comprobatur.

§ 13.

Sed etiam de ipsis scholiis eis, unde locum Uhligius desumpsit, aliter atque ille iudico. Pertinent enim ad eam codicis Hamburgensis partem, quam a ceteris seiunctam

p. 325 sq. peculiarem quendam commentarium continere dixi in § 2. Huius autem scriptorem esse Choeroboscum num recte Uhligius et Hartius iudicaverint (quibus etiam Lentzius praef. p. XXXIV adstipulatur), valde dubito. Multo enim audacius, quam fecit Hartius p. 277, pronuntiandum est, eundem esse librum qui in cod. Neapolitano Wachsmuthii Heliodoro adscribitur, et qui in Hamburgensi licet auctoris nomine omisso plenior et integrior nunc etiam legitur. Nam primum omnia quae in Neapolitano Heliodori nomen prae se ferunt, si quidem in editione Bekkeriana exstant, ex illa Hamburgensis parte desumpta sunt, tum nonnulla quae edidit Wachsmuthius, quamvis a Bekkero praetermissa, tamen in ipso codice non desiderantur. Illud Hartius neglegere non potuit; hoc eum fugisse miror.

Ac primum ut quaenam ratio inter utrumque librum intercedat, penitus perspiciatur, paginarum numeris quos Wachsmuthius exhibet (in Mus. Rhen. t. XX p. 384 sq.) eos apponam, quos ut Choerobosci sui Hartius (in Annal. Philol. a. 1872 p. 266 sq.) edi iussit:

Neapolitanus:	Hamburgensis:
904,21—24	904,21—24
907,1—6	906,31—907,6
916,5—9	916,5—11
919,4. 9—12	919,4—920,21
921,4—6	921,1—7
924,12—14	923,31—926,2
930,3—6	930,3—11
930,26—31	930,26—931,11.

Vides nullum unum locum, quem Heliodori esse Wachsmuthius testatur, si quidem reperitur in Anecdotis apud anonymum Hamburgensem deesse; contra nullum unum Heliodori verbum apud alium exstat codicis Hamburgensis scholiastam.

Sed etiam illud nunc rectius intelleges, quod p. 384 Wachsmuthius dixit, Heliodori scholiorum magnam partem in Bekkeri editione desiderari. Nam quod Hartius commemoraverat, id ipse inspecto codice cognovi: permulta ex hac codicis parte Bekkerus praetermisit, quorum alia levioris momenti sunt, alia autem eius generis, ut in nova editione spernenda non sint. Quare circumspiciendum est, n o n n u l l a n e saltem Heliodori scholia a Bekkero tantum reiecta, in ipso autem codice servata sint; nam omnia exstare ne exspectari quidem potest, cum nulli fere scholiorum codices a librariis ea cura atque diligentia descripti sint, quin alii alia omitterent. Itaque si nonnulla praeter edita Heliodori fragmenta in Hamburgensi indagari poterunt, gratulandum nobis erit. Atque possunt nimirum, ut etiam restituere liceat ea quae in Neapolitano corrupta sunt; ut post p. 899,8 haec valde mutilata se legisse Wachsmuthius testatur: *ἄρθρον ἐστὶ μέρος λόγου πτωτικὸν ἀντὶ τοῦ . . . . πόμενον.* Cf. Hamburgensis p. 331: *ἄρθρον μέρος λόγου πτωτικὸν ἀντὶ τοῦ πτώσεις ἐν ἑαυτῷ ἔχον, προτασσόμενον καὶ ὑποτασσόμενον* (ut in Neapolitano fortasse non *πόμενον*, sed [*ὑποτα*]*ττόμενον* scriptum esse suspicari liceat, cum facile inter se confundi possint *ττ* et *π*) *τῆς κλίσεως τῶν ὀνομάτων.*

Porro quod in Neapolitano Wachsmuthius Bekkeri p. 927,32 sequi docuit, idem in cod. Hamburgensi p. 348 post 928,3 insertum est paulo plenius, ut inde breviatam esse Neapolitani recensionem intellegas.

Denique quae p. 930,31 in Neapolitano scripta sunt, ea in Hamburgensi quanquam nunc non leguntur, tamen in eo, quem descripsit librarius, libro olim exstitisse propter lacunam arbitror paulo ante spatio relicto, ut fieri solet, indicatam.

Haec omnia ita comparata sunt, ut etiamsi nonnulla, ea autem perpauca, quae in Neapolitano sunt, in Hamburgensi deesse, alia nonnulla paulo immutata esse videamus, ut librarios diversos suum quemque in describendo arbitrium secutos esse cognoscamus, tamen unum eundemque librum utroque loco descriptum esse nequaquam negari possit. Accedit quod rectissime Hartius p. 271 dixit, ex ipso qualis in Hamburgensi continuus legitur libro, quantopere decurtatus sit perspici posse.

Itaque cum anonymum Hamburgensem in Neapolitano Heliodorum vocari pro certo contendendum sit, iam ad Uhligii et Hartii coniecturam revertamur. Fortasse enim etiam nunc aliquis Choeroboscum esse scriptorem, errore autem gravissimo in Neapolitano Heliodori nomen suppositum esse sibi persuadeat. Quem primum hoc perpendere velim, non uno loco errorem commissum esse ei videri, sed omnibus quibuscumque Heliodorus commemoratur. Tum vero ea argumenta requiro, quae refutari nullo modo possint. Denique cavendum est, ne novae quaedam eaeque molestiores difficultates inde nascantur. Ac de hac re primum dicendum est.

Attente velim ea legas, quae p. 273 sq. Hartius exposuit, ubi quomodo factum sit, ut et continuum Choerobosci commentarium et quattuor praeterea eiusdem frustula, de eisdem rebus aliis verbis scripta, in scholiorum congerie legamus, quaeritur. Quam rem sic explicari vult, ut fru-

stula illa non ex ipso in Dionysium commentario, sed e peculiaribus quibusdam commentationibus de singulis orationis partibus conscriptis fluxisse statuamus. Quam expediendi viam ne tum quidem mihi arrisisse profiteor, cum id quod de Heliodoro dixi nondum ipse animadvertissem; sed quominus sententiae per se satis improbabili accedam, eo maxime prohibeor, quod quarto loco rem prorsus contrariam in utroque libro exstare neque Hartius negavit neque negari potest. Agitur enim de *μεσότητος ἐπιῤῥήμασι*, de quibus aliud a Choerobosco adscripto nomine in Anecd. p. 940,23 sq. aliud doctrina vulgari praeceptum esse in § 11 dixi. Atque in hac ipsa re non Choeroboscum, sed ceteros sequitur is, de quo agimus p. 939,20 sq. et 941,9 sq. Quam difficultatem Hartius non removit, cum sententiae suae per se non valde probabili etiam hoc necessitate coactus adderet, Choeroboscum altero loco sibi ipsi contradixisse. Quod crederem, si aliud nihil relictum esset, nunc vero infitior, quoniam multo melior patet explicandi via.

Breviter quod sentio dicam. Vixit ille, sive Heliodorus sive alio nomine appellabatur, post Choeroboscum, cuius librum tantum non omnem in suum transtulit; itaque nonnulla a Choerobosco recte dicta descripsit, quanquam ad illum tantum spectabant, alia autem addidit, quae a Choerobosco profecta esse non possent. Huius generis est, quod de *μεσότητος* adverbiis legisti, huius etiam — id quod gravissimum est — quod ipsius Choerobosci Heliodorus mentionem fecit. Neque enim aliter apte explicari potest, quod in Anecd. p. 883,7 de scholiis in Apollonium ipsum scriptis dicitur. Vituperavit Heliodorus Dionysii verbi definitionem, cui Apollonianam

opposuit; tum sic pergit: *καὶ μαρτυροῦσιν οἱ ὑπομνηματισταὶ τῷ λόγῳ, τοῦτό γε αὐτὸ λέγοντες, ὡς ...... λέγοντες ὅτε γάρ ....* Quis vero eodem iure Apollonii scholiasta vel interpres diceretur quo Choeroboscus, quem non unum tantum Apollonii librum commentariis locupletissimis ornasse supra vidimus, qui de Rhematico Apollonii tam fuse egisse videtur, ut ad alterius libri prooemium legentem allegaret in Dict. p. 500,28. Itaque Choeroboscum ipsum esse Apollonii interpretem, quem Heliodorus dixit, per se veri simile videtur; tum vero certum fit inde, quod eadem quae interpretes dixisse Heliodorus testatur etiam nobis apud Choeroboscum legere licet, nisi quod sententiae Choerobosci sua ipsius verba supposuit Heliodorus:

Anecd. p. 883,11: [*λέγοντες*] *ὅτι γὰρ τὰς τῆς ψυχῆς διαθέσεις οὐ δηλοῖ, οὐδὲ προσώπων ἐστὶ διασταλτικόν.*	Choer. Dict. p. 471,5: *ὅτε γὰρ μὴ ἔχουσι θέλημα ψυχῆς, οὐδὲ πρόσωπα ἔχουσι.*

(Verba sua Heliodorum supposuisse dixi, quia Choeroboscus, nisi fallor, aut *θέλημα ψυχῆς* aut *βούλημα* aut *βούλησις* dicere solet; contra *διάθεσις ψυχῆς* apud eum me legere non memini; cf. Dict. 733,8. 9; 788,34; 814,13; 817,9; 820,31. 32; — 770,27. 28).

Itaque anonymum illum alium atque Choeroboscum esse codex Neapolitanus testatur; Choeroboscum se exscribere ipse profitetur. Ac recte nimirum profitetur; nam eo usque Choerobosci vestigia pressit, ut nonnunquam quae de suis ipsius libris ille dixerat, nulla animi sollicitudine commotus in suum usum transferret; cuius inauditae aetate nostra neglegentiae, quae dubitationes fortasse nonnullis movere possit, tam luculentum infra in § 14 exemplum afferam, ut ne de hoc quidem dubitandum esse concessurus sis.

Quare illud de *βιωφελέσι τέχναις* illustrandis a Choerobosco primitus scriptum esse nunc Uhligio assentior, sed vocula hac, quae est primitus, adiecta; nam postea alius, qui Choeroboscum compilavit, in suum id librum transtulit.

Recte fortasse Hartius p. 275 *ἐν τῷ περὶ συνδέσμου,* quod in Anecd p. 960,28 exstat, Choerobosco adscripsit, quanquam Heliodorum de coniunctione non scripsisse, quis est, qui se scire profiteatur? Denique quod nonnulla et ab anonymo et a Stephano aliisque, quorum nomina perierunt, in altera scholiorum parte eisdem verbis exposita esse Hartius p. 275 sq. docuit, de hac re tum demum iudicari poterit, si de altera codicis parte universa accuratius actum erit.

Sed Heliodori nomine neminem nisi anonymum Hamburgensem significari, hunc autem Choerobosco aetate inferiorem esse satis videtur probabile esse.

§ 14.

Iam vero ad aliud progrediar, quod multo et gravius sit et latius pateat: scripsit enim Choeroboscus praeter alia commentarium in Hephaestionis metrici enchiridion, qui nescio quam ob rem in omnibus, quos novi, eius librorum indicibus praetermissus est; praetermissus est etiam in eis, quos vidi, Hephaestionis interpretum tabulis, quod nescio an nonnullo historiae metricorum Graecorum detrimento fuerit.

Choeroboscus in Dictatis, ubi litteras *πτ* ac *κτ* et in *πέπτωκα κέκτημαι* reduplicationem admittere et in carminibus nonnunquam syllabam ancipitem efficere exposuit, p. 554,2 sic pergit: *Περὶ τῆς κοινῆς συλλαβῆς κατ' ἀκρι-*

βειαν ἐν τοῖς μέτροις Ἡφαιστίωνος μαθησόμεθα. Inspicias quaeso scholiorum in Hephaestionem eam, qua de syllaba ancipiti agitur, partem, ubi p. 108,29 ed. Westf. haec leguntur: καὶ ὅτι τῷ λόγῳ τῆς κοινῆς ... διπλασιάζεται τὸ κέκτηκα (sic!) καὶ πέπτωκα ...., ἐδείχθη σὺν θεῷ ἐν τῷ περὶ ῥημάτων, h. e. in ea canonum parte, quae ad ῥῆμα spectat. Nonne et res et sermo eundem esse auctorem arguunt? Sed quoniam hisce locis omnis ratiocinatio nostra nititur, utrumque adscribere liceat:

Choer. 553,28: Ἄλλως τε δὲ πολλάκις εὑρίσκονται καὶ ἐν τοῖς μέτροις ἀποτελοῦντα τὴν κοινὴν τὸ κτ καὶ πτ, ὡς παρ' Ὁμήρῳ (δ, 229) .... εἰκότως οὖν καὶ τὸ πέπτωκα καὶ κέκτημαι τῷ λόγῳ τῆς κοινῆς ἀνεδιπλασιάσθησαν. Περὶ τῆς κοινῆς συλλαβῆς κατ' ἀκρίβειαν ...	Schol. Heph. 108,25: καὶ εὑρέθησαν σπανίως ποιοῦντα κοινὴν ἐν αὐτοῖς τὸ πτ καὶ τὸ κτ, ὡς παρὰ τῷ ποιητῇ .. (δ, 229). εἶτα καὶ ὅτι τῷ λόγῳ τῆς κοινῆς (οἱονεὶ βραχείας τὸ πτ) διπλασιάζεται τὸ κέκτηκα καὶ πέπτωκα, ... ἐδείχθη σὺν θεῷ ἐν τῷ περὶ ῥημάτων.

Mirum esset si utriusque libri editorem celeberrimum hoc fugisset; qui in Heph. p. 10 breviter similitudinem intercedere adnotavit, sed quam late hoc pertineret, quidque praeterea inde effici posset, ultra prosequi illi non placuit. Sin vero ita, ut negari nequeat, constare videtur non modo scripsisse Choeroboscum de Hephaestionis enchiridio, sed etiam superesse vestigia nonnulla eius scriptionis, nihil sane antiquius habendum est hoc, ut omnia, quae praeterea eam originem habeant, inquirere atque indagare conemur.

Ac primum non hoc uno loco alia Choerobosci opera citantur; nam quod in ipsis Dictatis saepissime legitur: *ἐν τῷ περὶ τόνων μαθησόμεθα*, spectans ad disputationem, quae inter Onomaticon et Rhematicon interposita est, *περὶ τῶν ἐν ταῖς πτώσεσι τόνων* p. 397—466, idem ne illic quidem deest:

Choer. Dict. p. 400,8: *τούτων γὰρ ἐπὶ τέλους οὐσῶν πολλάκις προπαροξύνεται ἡ λέξις, οἷον Ὅμηροι ...., ἐπειδὴ ἀντὶ κοινῆς παραλαμβάνονται καὶ πρὸς ἕνα ἥμισυν χρόνον ἔχουσι.*

Schol. Heph. p. 107,8: *Οὔτε γάρ εἰσι μακραί, φησίν, ἡ ̄αι καὶ ἡ ̄οι δίφθογγοι, ἀλλ' ὡς ἐν τῷ περὶ τόνων δείκνυται, αὗται πρὸς ἕνα ἥμισυ(ν) χρόνον ἔχουσι, τῆς φύσει μακρᾶς δύο ἐχούσης, ὅθεν καὶ ἐπὶ τέλους οὖσαι ἔχουσι πολλάκις τὸν προπαροξύτονον τόνον.* (Nam *χρόνον* ante *τῆς φύσει* delendum est).

Haec qui attente legerit, communem habere originem non infitiabitur. Sed etiam aliud inde videtur disci posse; neque enim ipsum Choeroboscum in schol. Heph. legimus, sed alium quendam qui illum exscripsit: quapropter recte se habet *φησίν* quod adicitur ab altero, si recte id explices, neque Julium Caesarem sequaris temere *φύσει* conicientem in emend. Heph. p. X.*)

---

*) Quod autem *φησίν* defendi posse concedit, ‚si statuamus scholiastam ipsa technici quem postea dicit verba e maiore libro deducta afferre,‘ ne hoc quidem laudandum est; nam *ὁ τεχνικός* p. 107,13 ad ipsum Hephaestionem spectat, qui iure dicitur *παραδείγματα ἐπὶ τῆς υι* [sic legendum neque *οι*] *διφθόγγου* afferre, sed quoniam alia illa e Choerobosci libro desumpta esse certum videtur, etiam *φησίν* ad eum spectare neque ad Hephaestionem manifestum est.

Tum neglegere noli homuncionum stulte exscribentium consuetudinem, qua utroque loco factum est, ut eius quo uterentur libros quasi suos quosdam afferrent, quia attulerat ille; neque idem in schol. Dion. factum, ut supra dixi p. 47, tantopere mirandum est.

Duobus praeterea locis ei librorum tituli in schol. Heph. commemorantur, quos item Choerobosci esse quanquam demonstrari non possit, tamen verisimile videtur. Ac primum p. 143,17 *ἐν τῇ συντάξει τῆς ὀρθογραφίας* demonstratum esse dicitur, *Ζῆν'* vocabulum in versu Homerico ab Aristophane et Aristarcho sic divisum esse, ut *ν* litteram ad versum sequentem traherent; quae quanquam in ea quam nunc manibus volutamus Orthographia frustra quaeruntur, tamen inde non fluxisse probari nequit, quoniam cum omnino miserrime truncatam, tum praecipue poetarum versibus orbatam esse et satis constat et exemplo aliquo ipsi supra in § 12 significavimus. Nec tamen cum Westfahlio in Metr. Gr. I p. 191 ed. alt. ipsius Ori, vetusti (neque oecumenici, ut opinari videtur) grammatici verba propria relicta esse statuerim. Paulo aliter alterum quem dixi locum comparatum esse video; nam quae p. 127,8 afferuntur: *πᾶν γὰρ διφυὲς ἑτέρῳ διφυεῖ συμπλεκόμενον τέσσαρα σχήματα ἀποτελεῖ, ὡς ἐν τῷ περὶ ὀνομάτων εἴπομεν*, in Dictatis Choerobosci me legere non memini; at vero hanc ob causam ab eo abiudicare nolim, primum quod utrum Dictata in Theodosium an vero commentarium in Herodiani Onomaticon in mente habuerit, sciri nequit; tum autem potuisse me, quamvis diligenter grandia volumina percurrentem, rem pusillam fugere aperte fateor. Quare quanquam etiam haec e Choerobosci libris manavisse equidem arbitror, tamen si acriter contrarium defendatur, —

missum faciam utrumque, quippe quo egere possim; nam ipsis eis quae priora attuli exemplis, Choerobosci in Hephaestionem commentarii relliquias etiam nunc superesse, satis confirmatum et stabilitum esse videtur. Neque dubito, quin etiam atque etiam scrutantes et inquirentes alias quoque, quae inter scholia et Dictata intercedant similitudines reperturi sint, (ut nullius momenti nequaquam est, quod Choer. Dict. p. 143,20, cum *οι* et *αι* diphtongos etiam in mediis vocibus ante vocalem corripi diceret, eisdem usus est exemplis, quorum duobus Heph. p. 6 et 7, tertio scholia A p. 106,26).

§ 15.

Quare cum ex hac quidem parte satis munitam esse viam, qua ultra progrediar, existimem, ad aliud accedamus. Nam si scholia et in Dionysium et in Hephaestionem scripta Choerobosci fragmenta continere concedendum videtur, iam diligenter circumspiciendum est, numne idem scriptor in utrisque scholiis deprehendi possit. Quod si factum erit, haud temere inde unicum illum fontem, cui utraque debeamus, Choerobosci libros fuisse efficiemus. Sed de hac re quid in utramque partem disputari possit, sedulo infra quaeremus, si de ipsa quae intercedit rerum et verborum similitudine satis actum erit.

Atque intercedit ea similitudo, ut locis plurimis ex utroque libro alterum emendare possis, quod infra videbimus; neque enim vel hac commentatione vel re ipsa indignum arbitror, de librorum mendis quid sentiam, exponere.

Initium faciam a schol. Heph. p. 93,1: *Ἰστέον δὲ ὅτι ἄλλως λαμβάνουσι τοὺς χρόνους οἱ μετρικοὶ ἤγουν οἱ*

γραμματικοί, καὶ ἄλλως οἱ ῥυθμικοί. Οἱ γραμματικοὶ ἐκεῖνον μακρὸν χρόνον ἐπίστανται τὸν ἔχοντα δύο χρόνους, καὶ οὐ καταγίνονται εἰς μεῖζόν τι· οἱ δὲ ῥυθμικοὶ λέγουσι τόδε εἶναι μακρότερον τοῦδε, φάσκοντες τὴν μὲν τῶν συλλαβῶν εἶναι δύο ἡμίσεος χρόνων, τὴν δὲ τριῶν, τὴν δὲ πλειόνων. Eadem brevius exhibentur in scholiis grammaticis, quibus alter scholiorum metricorum locus accedit:

Schol. Dion. p. 821,25: *Ἰστέον δὲ ὅτι παρὰ τοῖς μετρικοῖς πᾶσα μακρὰ δίχρονος, παρὰ δὲ τοῖς τεχνικοῖς* (immo *ῥυθμικοῖς*) *τρίχρονός τε καὶ τετράχρονος, τρίχρονος μὲν ὡς ηὖλουν, ὤθουν, τετράχρονος δὲ ὡς Θρᾷξ.*	Schol. Heph. 98,19: *Ἰστέον δὲ ὡς* ... *ἔστι μακρὰ τρίχρονος ἢ καὶ πλειόνων χρόνων, οἷον ηὖλουν Θρᾴξ.*

Eorum, quae coniuncta grammaticus exhibet, alia ab aliis metricis allata esse patet, ut utrisque consociatis communem originem agnoscas. Sed quod *τεχνικοῖς* apud grammaticum exstat, quod quomodo corrigendum sit metricus docet, similem rerum similium confusionem etiam alio loco animadvertimus:

Schol. Dion. p. 831,2: *ὅθεν καὶ οἱ μουσικοὶ ἐπὶ τῶν συλλαβῶν τῶν ἐχουσῶν τὰς ὀξείας ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐμβραδύνουσι τοῖς κρούσμασι.*	Schol, Heph. 93,12: *Ἰστέον ὅτι παρὰ τοῖς μετρικοῖς ὀξυτονουμένη συλλαβὴ μείζων ἐστὶ τῆς βαρυνομένης ..... γίνεται γὰρ βραδυτής τις τοῦ χρόνου .... διὰ τῆς ὀξείας.*

Ubi nescio rectene se habeat altero loco *μετρικοῖς;* primum enim cur metrico, qui de rebus metricis ageret, hoc adiciendum fuerit non dispicio; tum vero alterum illud cum hoc comparatum suadere videtur, ut *μετρικοῖς* mutemus, quanquam nequaquem defendi illud posse non dixerim.*)

Pergamus ad alia: in scholio valde mutilato, quod Anecd. 828,8 exstat, quae in fine perierunt, ex schol. Heph. 166,19 supplere potes; illic enim legitur: *ὁ μὲν ἀμφίμακρος κατὰ τὴν τρίτην συλλαβὴν καὶ κατὰ τὸν τρίτον* (leg. *πρῶτον*) *τρόπον τῆς κοινῆς συλλαβῆς* ... cetera desunt. *Θεραπεύεται* supplendum esse schol. Heph. docent: *Χρὴ δὲ γινώσκειν ὅτι ὁ παλιμβάκχειος εἰς τὴν δευτέραν συλλαβὴν θεραπεύεται, ... ὁ δὲ ἀμφίμακρος κατὰ τὴν τρίτην;* nam *θεραπεύειν* vocabulum, satis id in scholiis metricis vulgatum, nonnunquam etiam in grammaticis in usum vocatur ut p. 827,33; 826,33.

Alia quaedam in schol. Heph. eo usque breviata sunt, ut difficilia intellectu sint, cum in Anecdotis plenius et rectius exhibeantur; ut schol. Heph. 115,14 sq.: *τούτων οὖν τῶν τριῶν τρόπων* (scil. *τῆς κοινῆς*) *ὁ μὲν φύσει φαίνεται*

---

*) Ceterum quod de musicis in syllabis oxytonis retardantibus narratur, testimonium haud spernendum videtur eis, qui Graecos homines carmina vel recitantes vel canentes accentuum nullam habuisse rationem sibi persuadere nequeant, ne de eis dicam, qui ne in soluta quidem oratione accentus iustam vim habuisse, sed velut aviculorum cantum quendam sonorum altitudinem vel auxisse vel minuisse contendant.

In eis autem, quae in schol. Heph. mox subiciuntur p. 93,16, grave quoddam vitium hac occasione emendare liceat: *Ἡ δὲ περισπωμένη ἐστὶ τῶν δύο, τῆς μὲν μακρᾶς βραχυτέρα τῆς δὲ βραχείας μακροτέρα*; haec propterea sensu carent, quia post *μένη* intercidit *μέση* (cf. Bast. comm. pal. p. 818, 825), ut sic scribendum esse appareat: *Περισπωμένη* [*μέση*] *ἐστὶ τῶν δύο* ...

ἐν τῷ ,οὔτε μοι αἰτίη ἐσσί'· ὁ δὲ θέσει ἐν τῷ ,Πάτροκλέ μοι δειλῇ'. ὁ δὲ βραχὺς ἐν τῷ ,οἱ δὲ μέγα ἰάχοντες ἐπέδραμον.' Quae ancipitis syllabae genera cur sic appellentur ex Anecd. p. 828,11 sq. discimus, ubi integra omnia sunt, illisque quae exscripsi haec antecedunt: *Διὰ τί δὲ τρεῖς τρόποι εἰσὶ τῆς κοινῆς συλλαβῆς καὶ οὐ πλείους; καὶ λεκτέον ὅτι πᾶσα συλλαβὴ ἤτοι μακρά ἐστι ἢ βραχεῖα*, longa autem *φύσει* et *θέσει· ἕκαστος οὖν ὁ τρόπος τῇ κοινῇ παρεχώρησεν, ὁ μὲν φύσει* et cetera, quae supra scripsi. Prior igitur scholii pars illic abscisa est. Sic autem permultis locis altera scholia ex alteris illustrare emendare supplere possumus, quod ut omnibus numeris absolute perficiatur, futurorum utriusque libri editorum erit.

Nobis autem etiam nonnulla afferre liceat, quae similitudinem illam quam intercedere dixi, novis exemplis confirment. In schol. p. 827,26 Dionysius vituperatur propter tertiae syllabae ancipitis definitionem; quibus cf. schol. Heph. 115,21:

Schol. Dion.	Schol. Heph.
Schol. Dion.: *Σημειωτέον δὲ ὡς οὐ καλῶς εἶπεν ὁ τεχνικὸς ἐν τούτῳ τῷ τρόπῳ ,καὶ τὴν ἑξῆς ἀπὸ φωνήεντος ἀρχομένην'· κἂν γὰρ ἡ ἑξῆς ἄρχηται ἀπὸ συμφώνου, λήγῃ δὲ ἡ πρώτη εἰς φωνῆεν, πάλιν κοινὴν ποιεῖ.*	Schol. Heph.: *Σημειῶσαι δὲ ὅτι κἂν τὴν ἑξῆς ἔχῃ ἀπὸ συμφώνου ἀρχομένην, λήγῃ δὲ ἡ πρώτη εἰς φωνῆεν, κοινὴν ποιεῖ συλλαβήν.*

Eodem spectat, quod de synizesi in utroque libro legimus:

Schol. Dion. p. 835,30: *Ὅταν γὰρ φωνηέντων ἐπάλληλος γένηται ἡ προφορά* .... 835,33: *ἡ μὲν γὰρ γραμμάτων ἐστὶ κλοπή, ἡ δὲ χρόνων* .... *Καὶ ἡ μὲν συναλοιφή, ὡς λέγεται, φαίνεται, ἡ δὲ οὔ.*

Schol. Heph. p. 119,13: *Ὅταν γὰρ φωνηέντων γίνηται ἀλλεπάλληλος φορά* .... 120,10: *Κλοπὴ γάρ ἐστι χρόνων αὕτη, γραμμάτων κλοπῆς οὔσης τῆς συναλοιφῆς· Ἔτι ἡ μὲν συναλοιφή, ὡς γράφεται, καὶ βαίνεται.* et 123,5: *ἡ μὲν γὰρ συναλοιφὴ ὡς γράφεται οὕτω καὶ ἐκφωνεῖται.* *)

Graviora haec artioris necessitudinis testimonia qui inspexerit, is ne parvola quidem nonnulla contemnet, quae quanquam per se minoris momenti sunt, tamen una cum ceteris opinionem nostram confirmare possint. Ut Hephaestionis praecepto, quo mutam litteram cum liquida coniunctam syllabam antecedentem non producere docet, si prior littera vocis finem faciat, in scholiis p. 110,3 haec adduntur: *ὥςτε εἶναι αὐτὸ κατὰ διάστασιν δηλονότι· οὕτως γὰρ ὁ ἐξηγητής φησιν.* Iam vero si alterius illius loci meministi, ubi *φησίν* ad Choeroboscum spectare dixi (in § 14) nescio an probabilius idem etiam hoc loco habiturus sis, quam quod Westfahlio t. I p. 190 visum est, Longinum esse *τὸν ἐξηγητήν.* Nam eodem sensu in re simillima *διάστασις* in scholiis Dion. usurpatur, ubi de litteris inter diversas syllabas dis-

*) In his quanquam multa inter se similia neque tamen congruentia sunt, ut primo adspectu corrigenda videantur, tamen nihil mutare praetuli, cum aperta menda non videam (cf. *ἐπάλληλος* et *ἀλλεπάλληλος*, *προφορά* et *φορά*). Quam ob rem ne *φαίνεται* quidem, quod pro *βαίνεται* in schol. Heph. M. codex praebet cum alteris scholiis congruens, propter inversam sententiam recipiendum est. Fortasse contra *φαίνεται* ex [*ἐκ*]*φωνεῖται* corrigendum videbitur; miro enim modo *λέγεσθαι* et *φαίνεσθαι* quasi contraria sibi invicem opponuntur.

tribuendis agitur p. 824,3: *τί δὲ διαφέρει οὗτος ὁ τρόπος* (scil. *ἔργον*) *τοῦ πρὸ αὐτοῦ* (scil. *ἀγρός*); *Ὅτι ὁ μὲν τὴν ἑξῆς ἔχει ἀπὸ συμπεπλεγμένου συμφώνου ἀρχομένην, ὁ δὲ προκείμενος ὡς ἐν διαστάσει τὰ σύμφωνα.* Denique haec inter se comparanda sunt, sive ad rem sive ad sermonem spectas:

Schol. Dion. p. 827,16: *πᾶσα γὰρ τελικὴ συλλαβὴ ἐκ τῆς ἀναπαύσεως χρόνον παραλαμβάνει.*	Schol. Heph. 104,19: *Ἡ γὰρ ἀνάπαυσις τοῦ λόγου τὰς συλλαβὰς ἀπ' ἀλλήλων χωρίζουσα.*

§ 16.

In eorum, quae hucusque attuli, argumentorum numero si quis nonnulla inesse contendat, quibus certo ac firmo ratiocinandi fundamento uti nolit, habeat sibi! Nam alia restant, quorum vim agnoscere vix quisquam recusabit. Sed etiamsi omnia missa facerem, unum quoddam multo eis quae attuli gravius et summa attentione dignum accederet.


Exstant in scholiis Hephaestioneis Heliodori metrici fragmenta multa eaque utilissima, quorum numerum etiam auctum iri, si omnes codices ea qua par est diligentia excussi erunt, verisimile videtur. Ut e codice Saibantiano Gaisfordius haud pauca edidit, quae aut prorsus ignota fuerant, aut nullum auctoris nomen habuerant; quo ex numero sunt, quae de duodecim syllabae ancipitis generibus praecipiuntur. Nam quod Hephaestio docuerat, triplici ratione syllabam ancipitem produci, id in scholiis veteribus p. 114,13 ed. Westf. sic refutatur, ut tertium genus in decem species dividendum esse ostendatur, quas singulas recensere

scholiasta incipit; sed ultra quartam non progreditur, nisi fortasse cetera in codicibus nostris excidisse verisimilius sit. Quae quo tempore perierint, non constat; certe Draco qui falso dicitur p. 5, 11 sq. eadem exhibet eisdem verbis, ut in eo quo uteretur libro nihil amplius sub finem additum fuisse appareat. Iam vero feliciter contingit, ut in codice Saibantiano p. 112,8 sq. ed. Westf. cum totam argumentationem per decem genera productam verbis autem breviorem reperiamus, tum Heliodorum auctorem fuisse aperto scholiastae testimonio edoceamur. Dixit de hac re Westfahlius in Metr. Gr. t. I p. 199, cuius tamen in disputatione alia corrigenda alia addenda esse video.

Hoc paulo uberius exponere visum est, ut gravissimis quibusque exploratis habeam ubi pedem figam. Nam hoc ipsum Heliodori fragmentum viam monstrat, qua progressus ad meliorem scholiorum et originis et indolis universae cognitionem perveniri possit. Totum enim Heliodori fragmentum multo plenius in scholiis Dion. legitur p. 828,23—835,27, omisso ut fieri solet Heliodori nomine, sed ita comparatum, ut qua ratione scholiastae Hephaestionis ac Dionysii et Draco inter se cohaereant, penitus perspici possit. Abunde enim ex eis quae mox exponam elucebit:

1) unam esse recensionem eam, quae in codice Saibantiano exstat, alteram ceterorum librorum omnium.
2) alteram sic comparatam esse, ut uno eodemque fonte et Dionysii interpretem et Hephaestionis alterum cum Dracone usos esse pateat.
3) Draconem (quem brevitatis causa appellare liceat) non ex ipsis scholiis Heph. sua descripsisse, sed ex libro quodam paulo integriore.

Quod ut breviter illustrem, A ipsum fragmentum dico, quale omnibus libris materiam praebuit augendi interpretandi illustrandi, B codicem Saib., D Dionysii interpretem, F alterum Hephaestionis scholiastam, G Draconem, C et E denique libros quosdam nunc deperditos. Qui quomodo inter se cohaereant, hac iam imagine illustrari potest:



Totum exhibent fragmentum A B C D; nonnulla addidit C, plura D; mutilatum est in E, unde sua et F et G mutuati sunt, quorum uterque nonnulla melius quam alter servavit, quanquam in plerisque rebus consentiunt. Quod ut via ac ratione demonstretur, primum de singulis quibusque vel rimandis vel emendandis tum de toto argumento disputandum erit.

1. Ac primum F et G ad litteram fere consentire per se patet; neque tamen Westfahlius l. s. s. recte dixit nihil dissimilitudinis intercedere, qui etiam graviore errore implicatus p. 200 haec posuit: ‚So rücksichts- und gedankenlos (hat Draco abgeschrieben), dass er den auf Hephaestion sich beziehenden Satz: *Τρεῖς δὲ λέγει παραφυλακὰς ἔχειν κτλ.* ausschreibt, ohne ein Wort zu verändern, obwohl das *λέγει* im Zusammenhange des Draco völlig unverständig und sinnlos ist.‘ Magnopere in utraque re erravit; neque enim Draco p. 5, 17 *λέγει* scripsit sed *θέλει*, neque id quod scripsit ineptum est, cum ex eis quae antecedunt: *καὶ πρῶτός ἐστι τρόπος τῶν τὴν μακρὰν εἰς βραχεῖαν κατά-*

φερόντων οὗτος .... τρεῖς δὲ θέλει παραφυλακὰς ἔχειν, ad θέλει supplendum esse τρόπος facile sit perspectu. Iam vero ipsum illud vocabulum quod est θέλει ulterius progrediendi viam monstrat, cum idem Dionysii scholiasta dixerit p. 829,1: Τρεῖς θέλει παραφυλακὰς ἔχειν ὁ πρῶτος τρόπος ὁ τὴν μακρὰν εἰς βραχεῖαν καταφέρων et cet. Vides veterem lectionem in G et D integram, in F autem sic immutatam esse, ut λέγει ad Hephaestionem spectans supponeretur; unde consequitur E, quo exemplari Draco usus est, scholiis nostris F paulo integrius fuisse. Minoris est momenti quod in F 115,2 Θάτερος legitur, cum et G et D Δεύτερος exhibeant. Saepius autem a Dracone erratum est, ut p. 6: ἡ περισπωμένη τῇ πρὸ αὐτῆς ... δύναμιν χαρακτηρίζεται, ubi unicam medicinam F et D praebent δύναμιν χαρίζεται, quod saepius legitur in his scholiis. Neque minus consentaneum est apud Draconem p. 8, 10 non προκειμένης, sed cum F et D ἐπιφερομένης scribendum esse; ut de aliis taceam quae leviora sunt.

2. Sed etiam eum, quem E dixi, librum multis eisque turpissimis vitiis refertum fuisse inde intelleges, quod saepius in G et F depravatam reperis scripturam, quam rectissimam exhibet D. Cuius rei lepidum exemplum est hoc: schol. Dion. p. 830,28 sq.: Ἰδού, ὁ τελευταῖος πούς (τοῦ αἰόλον ὄφιν) πυρρίχιος μὲν ὑπάρχει, ... ἐπειδὴ δὲ τὴν ὀξεῖαν ἔχει ἐπικειμένην ἐπὶ τοῦ ο, ἀντὶ τροχαίου παρείληπται, ubi et Draco 6, 25 et schol. Heph. 116,11: ἀντὶ τροπῆς παρείληπται, quod absurdum est. Quare dubitare noli, quin τροχαίου compendio scriptum cum τρ^π^ο (cf. Bastii comm. pal. p. 846) confusum sit. — Alterum exemplum non minus luculentum praebent schol. Heph. 117,11: τῆς γὰρ περισπωμένης ἐκ δύο τότε συγκειμένης conlata cum

schol. Dion. 832,1: (τῆς περισπωμένης) ἐκ δύο τόνων συγκειμένης, ubi τόνων compendio scriptum (cf. Bastium p. 789) prave intellectum est, ut multo rectius Caesarem p. XII τόνων, quam Westfahlium τότε τόνων correxisse pateat. — Contra etiam in D erratum est, ubi genuinam memoriam retinet E, h. e. F et G; cf. schol. Heph. 117,12: καὶ ἐπιζητούσης τὴν συλλαβὴν δύο χρόνους ἔχουσαν (sic leg. pro ἔχουσι) φύσει οὐ θέσει; schol. Dion. 832,1: καὶ ζητούσης λαβεῖν δύο χρόνους ἔχουσαν φύσει οὐ θέσει .... Quo loco λαβεῖν, quanquam defendi posse non nego, tamen propter mendorum frequentiam et alterius scripturae praestantiam e συλλαβήν natum esse probabilius videtur, praesertim cum συλ inter σ et λ facile excidere potuerit. — Similiter comparatum est, quod in schol. Dion. p. 830,32 haec leguntur: Δοκεῖ γὰρ ἡ ὀξεῖα .... τὴν βραχεῖαν ἀνακαλεῖσθαι καὶ ἀνάγειν εἰς ὑπερτέραν τάξιν, in scholiis autem Heph. p. 116,14 et apud Draconem p. 7,3: Δοκεῖ γὰρ ἡ ὀξεῖα .... τὴν βραχεῖαν ἀνακαλεῖσθαι εἰς ἑτέραν τάξιν, quod sane defendi potest, nisi propter rationem, quae inter utrosque libros intercedit, ὑτέραν in ὑπέραν, hoc autem in ἑτέραν corruptum esse praeferendum sit.

3. Vidimus hucusque cum F et G tum E, qui utriusque fons est, nonnunquam etiam D a pristina integritate aberrasse. Quod contra C, e quo omnia illa fluxerunt, librum integrum et nitide exaratum fuisse inde efficitur, quod nullum fere errorem, qui E et D libris communis sit, deprehendis. Quod si notum habuissent qui Hephaestionis scholia vel ediderunt vel emendaverunt, a coniecturis nonnullis temerariis manus abstinuissent. Gravissimum huius rei exemplum est, quod Westfahlius quattuor versus 114, 18—21 transposuit, qui in scholiis et metricis et gramma-

ticis ante tertium syllabae ancipitis genus scripti sunt, cum nihil mutandum esse, multa autem inde effici posse concessurus sit, quicumque memorabile hoc corruptelae ingruescentis exemplum attente inspexerit; nam quae integra exstant in D, ea breviata in F, gravissime autem mutilata esse in G videbis:

Schol. Dion. p. 831,	Schol. Heph. p. 117,	Draco p. 7,22:
24: ... ἐπὶ τοῦ ἔθεν ἐπιφερομένης ὀξείας ἐμηκύνθη, δηλονότι παρὰ τῷ ποιητῇ, φημὶ δὲ τῷ Ὁμήρῳ, [ῷ]	6: ἐπὶ τοῦ ἔθεν ἐπιφερομένης τῆς ὀξείας ἐμηκύνθη,	ἐπὶ τοῦ ἔθεν ἐπιφερομένης ὀξείας ἐμηκύνθη,
καὶ ἔξεστι τοῖς δέκα τρόποις κεχρῆσθαι, τοῖς ἀναφερομένοις τὴν βραχεῖαν εἰς μακράν.	καὶ ἔξεστι τούτοις τοῖς δέκα τρόποις κεχρῆσθαι,	καὶ ἔξεστι τούτοις τοῖς δέκα τρόποις κεχρῆσθαι,
ἡμῖν δὲ ἐκ τῶν δέκα τρόπων ἑνὶ μόνῳ ἔξεστι κεχρῆσθαι, ὃν μετ᾽ ὀλίγον ἐροῦμεν.	ἡμῖν δὲ τῶν δέκα τρόπων ἑνὶ μόνῳ ἔξεστι κεχρῆσθαι, ὃν μετ᾽ ὀλίγον ἐροῦμεν.	οὓς μετ᾽ ὀλίγον ἐροῦμεν.

Manifesta sunt omnia. In schol. Dion. ῷ periit propter ῳ quod antecedit recteque a Bekkero suppletum est. Quae de Homero interposita sunt, ea in schol. Heph. omissa sunt, ut cuinam licentia illa permissa sit, obscurum videatur. Draco denique cum alteram partem totam describere supersederet, tale reddidit enuntiatum, ut nisi ὃν in οὓς mutasset, nihil prorsus intellegeretur. Haec libris tribus inter se collatis facili opera cognosci poterant; Westfahlium

autem neque transponere debuisse, quae suo loco quamvis breviata legebantur, neque post *καὶ ἔξεστι ... κεχρῆσθαι* recte addidisse *τοῖς παλαιοῖς* vel *τοῖς ποιηταῖς*, nemo non videt.*)

Summa cum dixerim cautione opus esse, ne ea quae in C olim scripta fuerint, audacius quam rectius mutemus, etiam alias quasdam Westfahlii coniecturas reiciendas esse inde sequitur: in schol. Dion. 828,23 et schol. Heph. 114,13 tria ancipitis syllabae genera puerili tantum rationi ac disciplinae accommodata esse dicuntur; secuntur in illis *Εἰσὶ τοίνυν δυοκαίδεκα* (scil. *τρόποι τῆς κοινῆς*), in his autem *οἱ δέ εἰσι δυοκαίδεκα,* quae Westfahlius sic corrigere sibi visus est: *οἱ δὲ εἶ(ναί φα)σι δυοκαίδεκα* (cf. Julium Caesarem p. XII).**)

4. Paucissimis denique verbis, quae de B et A dicenda sunt, absolvi possunt: brevissime in codice Saibantiano decem ancipitis syllabae genera enumerantur, ut nihil supervacaneum sit; neque errabit qui similiter in A disputatum fuisse sibi persuaserit. Contra quae e C libro derivanda esse dixi, omnia ita comparata sunt, ut multis ambagibus et puerilis doctrinae fusa expositione gramma-

---

*) Idem mendorum non corrigendorum sed celandorum studium apud Draconem saepius animadvertitur: p. 8 scribere debebat *οἱ γὰρ τόνοι* (scil. *τῆς περισπωμένης*), *ὡς φύσει οντες, καὶ τὰς φύσει μακρὰς ἴσασι;* sed cum excidisset *μακράς*, corrigendo effecit *τὰς φύσεις*, ut dormitantem fallere possit.

**) Rectius fortasse in schol. Heph. 114,22 (Drac. 5,14): *καὶ πρῶτός ἐστι τρόπος τῶν τὴν μακρὰν εἰς βραχεῖαν καταφερόντων* ... ante *πρῶτος* addidit *τῶν μὲν τριῶν*, cum similiter comparatum sit quod in schol. Dion. 828,31 exstat; sed *τριῶν* perversum est, quoniam *τρόποι τὴν μακρὰν εἰς βραχεῖαν καταφέροντες* non tres sint, sed duo: cf. schol. 114,16. Hoc adnotare poterat Julius Caesar, cui neque ‚minoris esse momenti‘ scholia B neque ‚minores labes accepisse‘ (p. XII) concedo.

ticum Byzantinum prodant, qui nihil eleganti brevitate expositum homine doctiore dignum haberet.

Itaque sic statuendum videtur: quae in codice Saibantiano exstant, ea e vetere quodam vel Longini vel alius commentario et brevissimo et doctissimo fluxerunt; sed quae ad C referenda sunt, ea e posterioris cuiusdam grammatici fabrica profecta sunt, cuius vestigia in utrisque scholiis etiam nunc deprehendimus. Eius disputatio ab alio quodam aucta legitur in schol. Dion., mutilata et breviata in schol. Heph. et apud Draconem; quod eo magis dolendum est, quia multa, quae nunc in schol. Dion. vix intellegi possunt, recte emendare possemus, nisi haec pars in ceteris libris periisset.

§ 17.

Sed iam ad ipsum argumentum accedamus, ut fontes et origines librorum, quos in manibus volutamus, plenius etiam dispiciantur; sed Draconem iam missum faciamus, cum abunde de eo dictum sit.

1. Schol. Heph. 114,13—18: non tres sed duodecim syllabae ancipitis genera esse docemur; quae eisdem fere verbis, sed ut nonnulla accedant, in schol. Dion. 828,23–29 leguntur; sub finem additur decem Heliodori generum unum tantum Dionysium notum habuisse (ἔλαθεν ἰαχή).

2. Schol. Heph. 114,22—115,2 (nam 18—21 falso transposita sunt) et schol. Dion. 828,31—829,6 de primo et Dionysii et Hephaestionis genere agitur, nisi quod Dionysius propter unam παραφυλακήν praetermissam vituperatur. Quae secuntur apud Bekkerum 7—15, et insulsa repetitione nata sunt et certis indiciis Melampodem Dionysii scholiastam

produnt, de quo multa supra diximus nonnulla infra adiciemus.

3. Schol. Heph. 115,2—7 breviter idem exponitur quod fuse in Anecdotis 829,16—830,2, ut eundem quem supra interpolantem agnoscas. Animadvertendum praeterea est Dionysii interpretem uti vocabulis Hephaestioneis et vice versa; nam *ὅταν ἐπιφέρηται δύο σύμφωνα ἐκ τῆς ἐπερχομένης* propius ad enchiridii quam grammaticae Dionysianae similitudinem accedunt: cf. ench. 7,14: *ἐπιφέρηται ἐν τῇ ἑξῆς συλλαβῇ σύμφωνα δύο.* Quod contra Dion. 633,21 dixerat: *ἐπιφέρηται δύο σύμφωνα, ὧν τὸ μὲν δεύτερον ἀμετάβολον, τὸ δὲ ἡγούμενον καθ' ἓν ἄφωνόν ἐστιν,* quod imitatur metricus 115,5 *τὸ μὲν δεύτερον ἀμετάβολον, τὸ δὲ ἡγούμενον ἓν τῶν ἀφώνων,* ut utrique interpreti libellum utrumque notum fuisse cognoscas.

4. Sed quid de tertio genere dicamus? Estne credibile Hephaestionis interpretem non Hephaestionem interpretari sed Dionysium, cuius definitionem ille subtilitate multo superaverat, (de qua re dicam in Epimetro)? Hoc Westfahlium de eadem re disputantem in Metr. Gr. I p. 199 prorsus fugisse non possum non mirari. Hephaestio enim tertiam ancipitem sic descripserat p. 9,14: *Τρίτος δέ ἐστι τρόπος, ὅταν βραχεῖα συλλαβὴ τελικὴ λέξεως ᾖ, μὴ ἐπιφερομένων τῶν τῇ θέσει μακρὰς ποιητικῶν συμφώνων, ἀλλ' ἤτοι ἑνὸς ἢ μηδενός;* Dionysius autem et simplicius et falsius 633,26: *ἢ ὅταν βραχεῖα οὖσα καταπεραιοῖ εἰς μέρος λόγου καὶ τὴν ἑξῆς ἔχῃ ἀπὸ φωνήεντος ἀρχομένην,* quod in scholiis p. 827,26 vituperatur. Iam vero animadverti velim, quid Hephaestionis scholiasta praebeat 115,8: *ὅταν βραχεῖα οὖσα καταπεραιοῖ εἰς μέρος λόγου, καὶ τὴν ἑξῆς ἔχῃ ἀπὸ φωνήεντος ἀρχομένην,* ut eius quem commentariis

ornaret sententiam eum ne commemorasse quidem pateat. Quis unquam similiter peccavit? Sed accedunt quae etiam graviora sint. Nam quae in schol. Heph. secuntur 14—20, breviata sunt ex eis, quae in Anecd. p. 828,11—21 exstant, quod supra attigi in § 15. Omnium vero gravissimum est quod 21—24 additamentum quoddam adicitur, quod Dionysii libro accedere poterat, ab Hephaestionis autem enchiridio abhorret: *Σημείωσαι δὲ ὅτι κἂν τὴν ἑξῆς ἔχῃ ἀπὸ συμφώνου ἀρχομένην, λήγῃ δὲ ἡ πρώτη εἰς φωνῆεν, κοινὴν ποιεῖ συλλαβήν.* Nam Hephaestio aut unam aut nullam sequi litteram consonantem diserte pronuntiaverat, ut novi prorsus nihil in additamento legeretur. Contra Dionysium, cum vocalem tantum sequi vellet, hoc ut adiceretur, ipsum effecisse luce clarius est; quam ob rem rectissime haec in schol. Dion. 827,26 sq. leguntur, ineptissime in schol. Heph. — Sed etiam aliud accedit quod, quae Bekkerus suo periculo alio ordine disposuit, ea in codice Hamburgensi etiam nunc sic se excipiunt ut in schol. Heph.:

schol. Dion.	827,9—11	schol. Heph.	8—11
	828,11—21		14—20
	827,26—31		21—24,

nisi quod inter locos primum et alterum interposita sunt 827,13—24, quibus Dionysii definitio emendatur adhibita Hephaestionis doctrina; nam 827,13—16 ex ipso enchiridio desumpta sunt (cf. p. 9, 14—17).

Iam quid factum sit, penitus perspicis; fuit aliquis, qui permulta e scholiis in Dionysium conditis in Hephaestionea transtulit; qui quanquam plurima ad novum quod tractabat argumentum recte applicabat, nonnulla tamen dormitans integra desumebat, cum in describendo summo opere

occupatus magis eum quem transcriberet librum quam auctorem quem illustraret ante oculos haberet.

5. De decem Heliodori generum primo et in schol. Heph. 115,25—116,5 et solita loquacitate in schol. Dion. 830,2—21 disputatur.

6. Alterum genus in schol. Heph. 116,6—117,8 (quibus adde 114,18—21) illustratur. Addita sunt nonnulla in schol. Dion. 830,23—831,29, sed quanquam accessisse quaedam ab eo, qui postremus haec retractaret, constat, in singulis tamen rebus, utrum aucta sint altera scholia an breviata altera, dubitari posse video.

7. Tertium genus in schol. Heph. 117,9—27 et in Anecd. 831,30—832,19 tractatur: quo loco recte Bekkerus omnia, quae inde a p. 831,32 usque ad 832,6 leguntur, in parenthesi posuit, quod praetermiserunt Gaisfordius et Westfahlius. — Sed unum quoddam praeclarae doctrinae exemplum schol. Dion. exhibent, quod miserrime breviando depravavit metricus. Inspice quod de *πρίν* producto docte in schol. Dion. 832,12 disputatur: *τοῦ γὰρ πρὶν τὸ ι συστελλόμενον ἐμηκύνθη διὰ τῆς συναιρέσεως ἀπὸ δύο φύσει χρόνων*. Quod quam vere dixerit, nostra melius quam ipsius aetas iudicabit (cf. praeter alios Curtii ‚Grundzüge‘ num. 380 et Hartelii ‚Homerische Studien‘ p. 73 ed. prioris). Sed ne nimis scholiastam laudaremus ipse cavit, cum posse etiam e circumflexo sequente syllabam productam excusationem habere adiceret. Iam quid inde in schol. Heph. 117,23 effectum sit animadverte: praetermisit quod doctum erat; retinuit quod stultum: *τοῦ γὰρ πρὶν τὸ ι συστελλόμενον ἐμηκύνθη διὰ τῆς ἐπιφερομένης*.

8. Quartum denique ancipitis genus in schol. Heph. 117,28—118,17 finem facit, cum in media controversia

librarius destiterit; in schol. autem Dion. 832,20—835,27 non modo hoc argumentum absolvitur, sed etiam cetera plene tractantur. Neque plura in Draconis libro servata sunt, qui tamen id quod deesse vidit infra se ipsum allaturum esse benigne pollicetur.

Itaque conferendo et recensendo nos quoque finem imponamus.

§ 18.

In utraque scholiorum congerie permulta communem originem prodere abunde demonstravi, ut unius cuiusdam auctoris vestigia ubique manifesta esse vix negari possit. — Quid autem de communi illo fonte statuendum est? Constat Choeroboscum in utrumque librum commentarios scripsisse, constat utriusque commentarii eas superesse relliquias, ut Choeroboscum suos libros afferentem reperiamus; constat denique alia plurima ab uno auctore profecta esse. Num Choeroboscum communem illum auctorem fuisse nunc negabis?

Tamen si quis exstiterit, qui quanquam ea quae constare dixi infitias non eat, tamen potuisse etiam alium quendam ante Choeroboscum ea quae communia sunt ex alteris scholiis in altera transferre contendat, habebo quod ei obiciam. Utrum enim verisimilius est, fuisse illum utriusque libri interpretem necne? Sin vero Choeroboscum in utroque libro illustrando atque enarrando operam posuisse sciamus, neque de quoquam praeterea idem relatum sit, utrum viae ac rationi, quam sequi debemus, accommodatius ei videtur, Choeroboscum communem esse fontem confiteri an vero negare? Fortasse si grammaticorum historia multo accuratius quam huc usque factum est tractata et investi-

gata erit, alterum quendam ante Choeroboscum fuisse hominem, qui eundem duplicem laborem sibi sumeret, perspiciemus; neque tenaciter tum equidem coniecturam meam defendam. Sed hoc donec factum sit, et caute et prudenter agere mihi videor, si eis argumentis nitor, quae nostra aetate ex omni parte stabilita et confirmata videantur, futura futuris relicturus.

§ 19.

Sed unum consulto huc usque praetermisi. Dixi enim de Choerobosco Dionysii et Hephaestionis interprete; sed toto capite priore id maxime demonstrare studui, Melampodis et Stephani non Choerobosci esse commentarios, e quibus omnia, quae cum scholiis Hephaestioneis comparavi, desumpta esse tabulas supra positas inspiciens cognosces. Nam Heliodori fragmentum in libro Melampodis, ceterorum haud pauca, imprimis ea quae § 17,4 recensui, in Stephani commentario legi facile intelleges. Quid igitur? Vanane et ludicra omnia quae in hoc capite posui videntur, si ad illud respiciamus? Minime! Immo vero novas copias neque eas spernendas ex hac ipsa utriusque capitis collatione accedere arbitror.

Primum enim in Bekkeri Anecdotis Heliodori fragmentum non tale exstare, quale a Choerobosco profectum est, multis indiciis demonstrari potest, quae haud semel in § 17 attigi. Videmus enim alium quendam Choerobosci scholia fuse loquendo omnia repetendo multa inserendo eo usque auxisse, ut non modo plura exhibeat quam scholia Hephaestionea, quae pristinam formam melius servaverunt, sed ipso sermone, de quo plene exposuimus, se eundem esse

arguat, quem per tredecim scholiorum paragraphos persecuti sumus. Quare si accedit alterum, quod istum scholiorum auctorem Melampodem esse codicum auctoritate evincitur, quid inde efficiendum erit nisi hoc: Melampodem fuisse post Choeroboscum, cuius librum transcriberet, ut primarium Melampodis fontem inde cognoscamus?

Quod si constat, tum etiam aliud recte explicabimus, quod et passim ab aliis adnotatum est, et ipse e copiis meis multifariam probare possum: permulta in Melampodis commentario et Choerobosci Dictatis eo usque similia esse, ut alterum alterius libris usum esse in manifesto sit. Nam eorum quae in Dictatis exposuit magnam partem e commentario in Dionysium scripto desumpsisse eum nemini, qui in grammaticis veteribus versatus sit, probabile non videbitur. Sed etiam indicia huius rei exstant, quae non tantum per se memorabilia sint, sed etiam summi momenti ad ea, quae de Choerobosco se ipsum exscribente § 18,4 conieci, confirmanda. Prorsus enim eodem modo quo illic e commentario in Dionysium scripto nonnulla transtulit in librum metricum, quamvis ad Dionysium tantum spectantia, etiam in Dictatis non modo res posuit ad Dionysium pertinentes, sed ipsius Dionysii nomen apposuit, quasi eum illustraret: cf. p. 111,15: *ἔστιν οὖν εἰπεῖν, ὅτι [ἐπεὶ] ὁ Διονύσιος ὡς πρὸς εἰσαγομένους τὸν λόγον ποιούμενος, τούτου χάριν τέσσαρα τελικὰ εἶπεν ἔχειν τὴν εὐθεῖαν τῶν πληθυντικῶν.* Vix risum teneas neglegentiam hominis aspiciens, qui profunda oblivione, quid ageret, imbutus describendi studio abreptus Dionysium defenderet loco ineptissimo, quem aptissimo defenderat antea. Quare cum multa Melampodis commentario et Choerobosci Dictatis

communia sint, et Melampodem Choerobosci commentario praecipuo fonte usum esse aliunde verisimile sit, vix errabit, qui etiam illa indidem eum mutuatum esse sibi persuaserit. Quod singillatim nunc non persequar; sed nonnullos Melampodis locos e Choerobosco corrigi posse et notum est (cf. Hartium p. 16) et pluribus etiam exemplis quam factum est demonstrari potest.

Sed ad institutum revertar. Melampodis nomine non modo non refutari vidimus ratiocinationem nostram sed etiam confirmari. Quid autem de Stephano dicendum? In cuius libro ea maxime inesse video, quae praeter rem in scholia Hephaestionea translata dixi. Ac Choeroboscum primum de Dionysii tum de Hephaestione scripsisse constat, ut doctrinam illam primum in scholiis grammaticis tum in metricis eum exposuisse verisimile sit. Itaque si libris antea scriptis in novis condendis utebatur (quod factum esse scimus), levitatem qua inepte nonnulla transcripserit, vix mirari possis in homine Byzantino. Quare nescio an pro communi Stephani et scholiorum Hephaestioneorum fonte etiam Choerobosci libri habendi sint Accedit quod eorum, quae in § 15 enarravimus, etiam alia eaque luculentissima similitudinis exempla e Stephani commentario fluxisse constat, ut p. 835,29 sq.; 827,16 sq. Denique in Stephani libro id legitur, quod ex ipso enchiridio desumptum esse dixi: p. 827,13—16.

Quae cum ita sint, vixisse vel potius scripsisse post Choeroboscum Melampodem pro certo contendo, Stephanum veri simillimum puto. Inde ante omnia de ipsius Choerobosci aetate paulo accuratius quaerendum esse per se patet. Attulit praeter alios saepissime Philoponum ut in Dict. 4,16; 21,10; 826,27 cet.; accedit quod 646,1

‚nonnullos' Philopono adversatos esse dicit, unde hoc fortasse concludere licet, tantum saltem temporis spatium inter utrumque intercedere, ut libris de Philoponi doctrina scriptis Choeroboscus uti potuerit; utut est, certe non ante Philoponum vixit Choeroboscus, sed aut eodem tempore aut posteriore. — De ipsius autem Philoponi aetate rectius nunc iudicari potest, quam antea ab hominibus doctis factum erat, quorum sententias incredibili ratione sibi invicem repugnantes Fabricius in bibl. Gr. t. X p. 639 sq. enumeravit. Nauckius enim in Erschii et Gruberi Encyclopaedia s. v. Philoponus ex parte Ritterum secutus ratiocinatione et doctissima et sagacissima effecit, non septimo, ut nonnullis placuerat, saeculo sed sexti initio Joannem Philoponum vixisse. Cui assensus est, qui etiam nova argumenta attulit, Gassius doctus theologus Heidelbergensis in Herzogii Encyclopaedia theologica t. VI p. 760. Eis, quae optime illi disputaverunt, parvolum aliquid addere quam ipsas disputationes repetere malo.

Lambecius in comment. IV p. 394 et ex eo Fabricius t. X p. 617 ed. Harl. Severum Antiochenum theologum satis notum, qui a. 513 Antiochiae episcopus factus est, *κατὰ τοῦ Ἰωάννου τοῦ Γραμματικοῦ τοῦ Καισαρέως* scripsisse rettulerunt. Hunc Joannem grammaticum non alium esse atque Philoponum suspicari possit aliquis; sed cum Caesareensem eum fuisse huc usque quantum sciam non constiterit, mera haec coniectura fuerit. Iam vero vide, quid nunc praebeat codex Hephaestionis Saibantianus, e quo egregiae doctrinae copias amplissimas Gaisfordius nobiscum communicavit, p. 106,8 ed. Westf.: *Ἰστέον δέ, ὅτι καὶ ὁ Φιλόπονος εἰς* (sic!) et quidem recte) *ἐπίγραμμα Καισαρείας ὡςαύτως ἐποιήσε,* h. e. quod

Parthenium fecisse Hephaestio p. 6,5 narraverat, qui cum in *Ἀρχιλαΐδα* carmina elegiaca conderet, quoniam metro elegiaco nomen illud adaptari non poterat, extremum versum iambicum esse voluit, idem — inquit — Philoponus admisit, cum in Caesaream epigramma faceret, nimirum quia *Καισαρεία* in distichis stare non poterat. Quare si supra legimus Joannem grammaticum Caesareensem fuisse, infra Joannem Philoponum Caesaream urbem (nescio quam, nam complures fuerunt) carminibus celebrasse, num temere agere videbimur, si utrumque comparantes de eodem homine utroque loco agi suspicati erimus? Vixit igitur Philoponus aetate Severi Antiocheni, h. e. sexto saeculo ineunte, ut quantopere hoc cum Nauckii sententia congruat, unus quisque intellegat. (Eodem praeterea refero, quod in Montefalconii bibl. Coisl. p. 57 legi, Severum *πρὸς Ἰωάννην τὸν αἱρετικὸν ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας* scripsisse).

Sed etiam alium Choeroboscus grammaticum commemoravit, cuius aetas accuratius definiri potest. Dixit enim p. 546,32 de Sergio grammatico, qui in Etym. Magno p. 223,1 et ex eo a Zonara in usum vocatur. Ad Etym. Magnum Stanleio quid adnotandum esse visum sit, ipse inspicias; qui post Eustathium vixisse sibi persuasit, quem a Choerobosco afferri sciret. Dirimunt litem Montefalconius bibl. Coisl. p. 57 et ex eo Fabricius t. X p. 621, cum eundem Severum, de quo modo diximus, ad Sergium grammaticum tres epistolas scripsisse tradant. Eidem fortasse Sergio Philoponus librum de *κοσμοποιίᾳ* scriptum dedicavit; nam de Sergio patriarcha Constantinopolitano quin falsa Photius cod. 240 retulerit, post Nauckii et Gassii commentationes nemo dubitabit.

Itaque et Sergius et Philoponus aequales fuerunt Severi

Antiocheni, quorum si libris Choeroboscus usus est, post initium saeculi sexti hoc factum esse constat.

Sed iam ad Stephanum revertor, quem circa annos 610—649 vixisse argumentis docte prudenterque conquisitis Mauricius Schmidtius in Philol. t. VIII p. 251 evincere studuit. Stephanus enim cum p. 872,12 haec scripserit: *Ποῖος Στέφανος; ὁ ἰατρός*, Schmidtio ab alio quodam, cui idem esset nomen, quique eo tempore clarus medicus haberetur, se distinxisse videtur; hunc autem medicum intra annos 610 et 640 floruisse docuit, ut etiam Stephanum primae saeculi septimi parti tribuendum esse probabilitate nequaquam careat. Iam vero si recte supra coniecimus Stephanum Choerobosci libros in suos transtulisse, ipsius Choerobosci aetatem inter certos hosce fines versari manifestum est; nam si usus est scriptoribus ineuntis saeculi sexti, contra in usum ipse vocatus est a scriptoribus ineuntis saeculi septimi, iam altera saeculi sexti parte ipsum aetatem degisse apertum est.

Sed unum praeterea monendum esse video. Fuerunt qui Stephanum Dionysii interpretem et Stephanum ethnographum eundem fuisse putarent, ut O. Schneiderus ‚Zeitschrift für Alterthumswissensch.‘ a. 1849 p. 236 et Mauricius Schmidtius l. s. s., qui etiam ethnographum et medicum unum fuisse hominem, quamvis cunctanter, Schneidero assensus est. Sed valde lubricam esse hanc coniecturam patet, cum firmis ac certis argumentis minus niti videatur quam nominum haud inusitatorum similitudine, quae fortuita esse potest. Certe neque de Melampode vel Diomede neque de Heliodoro neque de Porphyrio qui dicitur (quem Platonicum fuisse nunquam credam) aliunde certiores fimus, ut Stephanum propter meram nominum communi-

onem cum aliis, quorum ne aetas quidem satis constat, consociare paulo audacius factum videatur. Accedit quod ne ethnographus quidem quando vixerit, ita exploratum est, ut omnes difficultates sublatae sint. Ac Goettlingius in praef. ad Theod. p. XIII, Villoisonus in Anecd. II p. 103 n., Baehrius in Paulii encyclopaedia III p. 768 post Choeroboscum eum fuisse sibi persuaserunt, quia vel ipse vel Hermolaus s. v. *Ταμίαθις* de Choerobosco dixerat. Contra cum Choeroboscum Dict. p. 326,6 Stephanum attulisse constet, Prellerus l. s. s. p. 29 Choeroboscum post Stephanum vixisse contendit; porro Meinekius in Steph. p. 599,14 s. v. *Ταμίαθις* verba haec: *οὕτω Γεώργιος ὁ Χοιροβοσκὸς ἐν τῷ Ὀνοματικῷ* ut additamentum, qualia multa in Geographiam postea illata esse constat, deleri voluit; cui Lentzius I p. 136 adstipulatur. Neque equidem facere possum quin cum Meinekio et Lentzio Stephanum ethnographum Choerobosco aetate superiorem esse contendam; nam in Dictata Stephani nomen aliunde irrepsisse omni probabilitate caret. Quae cum ita sint, cum Stephanum geographum et Stephanum interpretem eundem fuisse nondum probabiliter demonstratum sit, cum illum ante Choeroboscum fuisse verisimile sit, hunc autem Choerobosci libro usum esse sint quae persuadeant, — ut nunc res sese habet, facere non possum quin diversos illos esse arbitrer.

Quare si recte huc usque disputavimus, vixerunt:

Philoponus ineunte saeculo sexto
Sergius ineunte saeculo sexto
Choeroboscus exeunte saeculo sexto
Stephanus Dionysii interpres ineunte saeculo septimo
Melampus post Choeroboscum
Heliodorus Dionysii interpres post Choeroboscum.

Quorum omnium facile princeps est Georgius Choeroboscus; de quo omnino sic statuendum videtur, ut quanquam ineptias multas protulit, tamen eorum omnium, qui veterum grammaticorum Tryphonis Herodiani Apollonii Heliodori Hephaestionis aliorum opera insigni diligentia tractaverint, atque doctrinae grammaticae, qualem Graecis hominibus excolere contigit, egregia scientia excelluerint, — ut eorum postremus habendus sit. Quem qui secuti sunt, non ad ipsos fontes accesserunt, sed e rivulis inde derivatis haurire praetulerunt. Quare egregie errare semper mihi visi sunt ei, qui quasi saecula multa paucorum annorum finibus contineri possint neque in dies vel crescat vel decrescat ingenii humani indoles atque natura, omnes quos Byzantinos vocant una contemptione ac despicientia dignos esse contendant.

Epimetrum.

De Dionysii grammatica et Hephaestionis enchiridio.

Dionysius Aristarchi discipulus num ipse grammaticae compendium scripserit, in quo commentariis illustrando tot posterioris aevi grammatici elaboraverunt, inter homines doctos magna fuit controversia, postquam Goettlingius in praef. ad Theod. p. V sq. ,centonem ex pannis tam veterum quam recentiorum grammaticorum' Byzantii demum a professoribus oecumenicis confectam esse contendit. De qua re quae prolatae sunt sententiae valde inter se diversae et invicem sibi repugnantes, eas in utilissima de Dionysio Thrace commentatione, quae Philol. t. VII et VIII inserta est, Mauricius Schmidtius recensuit, qui cum solita doctrina de hac re disputaret, et argumenta ab aliis allata diiudicavit et nova ipse attulit. Is talem fere Dionysii grammaticam, qualem nunc manibus terimus, antiquissimis iam temporibus exstitisse plenissima disputatione effecit. Neque non persuasit ille Adolpho Hartio, qui nuper in libello ,De Dionysii Thracis grammaticae epitoma partim inedita' p. 8 sq. cum omnino Schmidtio assensus est tum hoc ut firmissimo usus est argumento, quod si quis Apollonii Herodiani Nicanoris relliquias cum Dionysii grammatica comparavisset, dubitare vix posset, quin ante homines illos τέχνη composita esset, quippe quae res ab illis accurate tractatas vel ne attin-

geret quidem vel tales exhiberet, ut ipsa incunabula, unde profecta illorum doctrina paulatim incrementa ceperit, quasi oculis videamus.

Iam vero tribus illis quartus accedat Hephaestio metricus, quem ea qua Apollonium maxime ratione Dionysii definitiones in suum usum convertisse videmus, sed ut quae sibi vel neglegentius expressa vel non subtiliter excogitata viderentur, prudenter emendaret et perpoliret.

Ac primum brevem syllabam Dionysius sic definiverat: *Βραχεῖα συλλαβὴ γίνεται κατὰ τρόπους δύο, ἤτοι ὅταν ἔχῃ ἕν τι τῶν φύσει βραχέων, οἷον βρέφος, ἢ ὅταν ἔχῃ ἕν τι τῶν διχρόνων κατὰ συστολὴν παραλαμβανόμενον, οἷον Ἄρης*. Sed obici poterat primum non omnes quae brevem vocalem continerent syllabas ideo breves esse, sed primum duabus consonantibus sequentibus vocalem aut longam aut ancipitem fieri, tum vero ex ipsius doctrina syllabam brevem eandemque finalem interdum ancipitem esse. Quod Hephaestio cum vidisset, satis non habuit Dionysii definitionem paucissimis comprehensam repetere p. 3, 5 ed. Westf.: *βραχεῖά ἐστι συλλαβὴ ἡ ἔχουσα βραχὺ φωνῆεν ἢ βραχυνόμενον*; sed ne in errorem incideret, primum addidit: *μὴ ἐπὶ τέλους λέξεως*, tum *οὕτως ὡς μὴ εἶναι μεταξὺ τούτου τοῦ φωνήεντος καὶ τοῦ ἐν τῇ ἑξῆς συλλαβῇ σύμφωνα πλείονα ἑνὸς ἁπλοῦ, ἀλλ' ἤτοι ἓν ἢ μηδὲ ἕν*.

Similiter in syllaba longa egit. Primum enim Dionysium secutus longam esse natura syllabam, quae aut vocalem natura longam habeat aut ancipitem pro longa positam aut diphthongum exponit; tum eodem sententiae suae firmandae studio haec addit p. 3,12: *οὕτως ὡς ἑξῆς εἶναι σύμφωνον ἤτοι τελικὸν αὐτῆς τῆς συλλαβῆς ἢ τῆς ἑξῆς ἀρκτικόν, οἷον θής, θώς, παῖς, ναῦς· εἰ δὲ μή, οὐκ*

εἰσὶν ἄντικρυς μακραὶ, ἀλλὰ κοιναί, ὡς ἑξῆς εἰρήσεται. Nonne criticum agnoscis alium quendam castigantem, qui quae ille scholarum magis quam virorum doctorum usui providens in chartas iecerat, multis supplementis egere perspexerit, ne universa doctrina everteretur?

Tum syllabarum positione productarum quinque genera esse uterque docuit; sed alterum genus brevius quam prudentius Dionysius sic definivit § 9: *ἢ ὅταν βραχεῖ ἢ βραχυνομένῳ φωνήεντι ἐπιφέρηται δύο σύμφωνα, οἷον ἀγρός*, cum non omnes consonae duplices syllabam producerent. Quare laudandus est Hephaestio, qui p. 4, 12 addidit: *ἔνθα καὶ δεῖ παρατηρεῖν* (quippe quod non caverint alii), *μὴ τὸ μὲν πρότερον ἄφωνον ᾖ, τὸ δὲ δεύτερον ὑγρόν, αἱ γὰρ τοιαῦται κοιναί, ὡς ἑξῆς εἰρήσεται.*

Sed non modo quae perperam omissa facili opera e ceteris suppleri possent, Hephaestio addidit, sed etiam alia accurate quaesita, de quibus ille ne cogitaverat quidem. Ut syllabam et longam et in vocalem exeuntem ante vocalem corripi nude posuit Dionysius in § 11; Hephaestioni autem p. 5, 8 sq. addere visum est multo saepius hoc in extremis verborum syllabis quam in mediis fieri, quam divisionem satis utilem Dionysius non fecerat. Itaque factum videmus, quod pro re nata non fieri non potuit, ut definitiones ac divisiones a veteribus prolatae cum propter simplicitatem posteris sufficere non viderentur, novae in dies eaeque subtiliores dispertiendo effingerentur.

Accedit quod alia, quae propter nimiam sermonis brevitatem Dionysius obscurius exposuerat, Hephaestio dilucide et perspicue explanavit. Quo pertinent, quae de muta cum liquida coniuncta Dionysius in § 11 dixerat: *ὅταν βραχεῖ ἢ βραχυνομένῳ φωνήεντι· ἐπιφέρηται δύο σύμφωνα, ὧν*

τὸ μὲν δεύτερον ἀμετάβολον, τὸ δὲ ἡγούμενον καθ' ἓν ἄφωνόν ἐστιν; ubi quid sibi velit *καθ' ἕν*, iam scholiastis veteribus difficultates praebuisse videtur: cf. schol. Dion. p. 826,24; 829,23. Hoc enim, nisi fallor, ille sensit, nisi unius verbi ambitu utraque littera contineretur, syllabam ancipitem non fieri. — Adiciendum videtur non me solum sed etiam alios fortasse, rectene verba illa in grammatica legerentur dubitasse, quia in versione Dionysii Armeniaca a Cirbiedio ante hos quinquaginta annos edita et a philologorum studiis miro modo derelicta desunt. Haec enim Cirbiedius in ‚Mémoires et dissertations sur les antiquités nationales et étrangères' t. VI p. 25 edidit: ‚Lorsqu' une voyelle brève, ou qu'on peut prononcer brèvement, se rapporte à deux consonnes, dont la seconde est liquide, et la première une demisonore.' Sed neque hoc neque alia ea qua par est cura ac diligentia Cirbiedium vertisse nuper doctus quidam amicus me docuit, de qua re ut de tota versione Armeniaca uberius alias dicam. Satis nunc habeo pronuntiare, ne in versione quidem, si recte intellegitur, verba illa deesse *). — Sed ad Hephaestionem redeundum

---

*) Hoc Henrico Huebschmanno debeo, qui ut Megitaristarum, qui dicuntur, monachorum ope adiutus in linguam Armeniacam acerrime incumbat, nunc Venetiae versatur. Is Cirbiedium permulta neque recte intellexisse neque accurate interpretatum esse mihi scripsit'; quam ob rem opus esse videtur, ut nova editio paretur, in qua et errores Cirbiedii sublati sint et, quaenam ratio inter libros Graecum et Armeniacum intercedat, dedita opera quaeratur. Nam primum multis saeculis ante codices Graecos versio illa confecta est, ut permulta menda inde corrigi possint. Tum quinque paragraphos, quae in nostro libro desiderantur, in Armeniaco accedere recte Pinderus dixit in Addit. ad Schoell. t. V p. 605; quanquam erraverunt qui ab ipso artis auctore eas scriptas esse sibi persuaderent, quoniam in scholiorum magis numero illas habendas esse certis argumentis demonstrari potest. Quae cum ita sint, consociata opera iterum libellum edere in animo est, praesertim cum editionis prioris per-

est, qui multo planius quam Dionysius scripsit p. 7, 13 *ὅταν βραχεῖ ἢ βραχυνομένῳ φωνήεντι ἐπιφέρηται ἐν τῇ ἑξῆς συλλαβῇ σύμφωνα δύο;* nam si ad eam quae sequitur syllabam utraque littera pertinet, tum divisio litterarum, de qua p. 8, 10 dixit, locum non habet.

Haec omnia sic comparata sunt, ut post Hephaestionem Dionysii librum scriptum esse multam habeat probabilitatem. Tamen si quis obiciat, in tironum magis quam virorum doctorum usum eam conditam esse, ac fieri potuisse, ut magistellus ille resecaret, quae ex eis quae vel antecederent vel sequerentur suppleri posse putaret, — ei primum hoc respondebo mirum sane esse puerilis laboris minuendi studium, si quis sobrias sententias eo usque truncet ac mutilet, ut ne verae quidem sint. — Tum vero alia accedunt, quae eiusmodi sint, ut magistrum Byzantinum quamvis breviandi studio pellectum ea reiecisse nemo sibi persuadeat. Casune factum est, ut Dionysius syllabarum definitiones una eademque ratione ubique institueret: *Μακρὰ συλλαβὴ γίνεται ... Βραχεῖα συλλαβὴ γίνεται .... Κοινὴ συλλαβὴ γίνεται ....,* Hephaestio autem multo

---

pauca tantum exemplaria in bibliothecis Germaniae exstare videantur. Inde explicandum est, quomodo factum sit, ut per hos quinquaginta annos eorum, qui de Dionysio scripserunt, nemo ea uti posset praeter Uhligium, a quo semel commemorata est. — Exstant etiam scholia Armeniaca ampliora, quae quomodo comparata sint, nescio. — Denique adicere liceat, etiam Syriacam artis Dionysianae versionem superesse, de qua disputatur in Annalibus, quibus nomen est ‚Journal Asiatique‘ ‚sixième série‘ t. XX p. 248; nisi quod meras versiones neque illam neque hanc dicere possis, cum nonnulla auctores ad vernaculas linguas adaptaverint. At vero maiorem partem Armeniacus tam accurate expressit, ut grammaticis illis risui sit cum propter sermonem barbarum tum propter doctrinam a linguae Armeniacae indole abhorrentem. Sed manum de tabula; uberius haec alias exponam.

subtilius sic distingueret: *Βραχεῖά ἐστι συλλαβή ... Μακρά ἐστι συλλαβή ... Θέσει μακραὶ γίνονται .... Κοινὴ γίνεται?* Quod in scholiis p. 103,26 sq. sic recte illustratur: *Τῷ δὲ Ἡφαιστίωνι ὅρον οὐκ ἔδοξεν αὐτῇ* (leg. *αὐτῆς*) *δοῦναι, οὐδὲ τῆς θέσει μακρᾶς, καλῶς. Ἐπειδή φασιν ὅτι* (leg. *οὐκ* neque vero cum Caesare p. IX *ὅτι οὐκ*) *ἐξ αὐτῶν εἰσίν, ἀλλὰ θέσει ἢ βραχεῖαι ἢ μακραὶ γίνονται. περιττὸν δὲ τῆς μὴ οὔσης ὅρον ἀποδοῦναι· οἱ γὰρ ὅροι τῶν ὄντων φύσει δίδονται.* Nihil adiciendum. Num quis Byzantinum quaestiuncularum curiosum distinctione ista uti noluisse crediderit?

Gravissimum autem est, quod finem faciat. Quae de tertia ancipitis specie Dionysius in § 11 dixit, valde vituperanda sunt: (*κοινὴ γίνεται*) *ἢ ὅταν βραχεῖα οὖσα καταπεραιοῖ εἰς μέρος λόγου καὶ τὴν ἑξῆς ἔχῃ ἀπὸ φωνήεντος ἀρχομένην*, nam saepissime contraria est res. Multo igitur rectius Hephaestio p. 9, 14: *Τρίτος δέ ἐστι τρόπος, ὅταν βραχεῖα συλλαβὴ τελικὴ λέξεως ᾖ, μὴ ἐπιφερομένων τῶν τῆς μακρᾶς* (cf. Caesarem p. VI) *ποιητικῶν συμφώνων, ἀλλ' ἤτοι ἑνὸς ἢ μηδενός*, quae ferri sane possunt, cum Dionysii praeceptum nequaquam sufficiat, quippe quod multis ante Hephaestionem annis factum esse pateat.

Sed quod ipsi vidimus, id ne scholiastas quidem fugit, qui ut Apollonii et Nicanoris doctrina quasi sua quadam egregia scientia utebantur ad Dionysii sententias refellendas, sic etiam, quae Hephaestio, ut syllabarum doctrinam perpoliret, sive ipse invenerat sive ab aliis mutuatus erat, ea quasi e suo penu deprompta contra Dionysium attulerunt. Ut p. 829,3 *ὁ τεχνικός* vituperatur, quia longam syllabam ante longam in exitu tantum verborum corripi non dixerit; nam multo saepius hoc fieri Hephaestio docuerat. Eum

quem postremo loco posui Dionysii errorem acerbe castigavit scholiasta p. 827,26. Quid? quod ipsa verba Hephaestionis ut Dionysii praeceptis praeferenda scholiastae p. 827,13 descripserunt; cf. Heph. p. 9, 14. Quibus rebus perpensis ne eum quidem, qui de ceteris dubitare malit, hoc negaturum esse putaverim, Dionysii interpretes in Hephaestionis enchiridio emendatam multisque maculis purgatam Dionysii doctrinam deprehendere sibi visos esse, quod certe haud leve est argumentum.

Haec etiam causa est, cur sub finem p. 835,29 Dionysii scholiasta de synecphonesi et synaloephe nonnulla subicienda duxerit, quanquam tacuerat de eis Dionysius; nam in enchiridii p. 10 ea, quibus respondent grammaticae §§ 9. 10. 11, mox excipit de quattuor συνεκφωνήσεως generibus brevis disputatio, quam haud recte ei Dionysius omisisse visus est.

Haec omnia considerans facere non possum, quin ante Hephaestionem Dionysii grammaticam conditam esse arbitrer.

Index locorum,

de quibus in capite altero disputatur.

Corrigenda et addenda.

P. 2 v. 32: pro tu reponendum est ut.

p. 30 v. 5: addendum erat p. 951,9; pro 957,7 autem scribi velim 957,17.

p. 58 v. 15: progressus delendum est.

p. 72 v. 31: εἰς a posterioris aevi scriptoribus pro ἐν usurpari nemo peritus nescit; sed *Καισαρείας* casu patrico positum num ferri possit, ab aliis doceri velim.

p. 81, n.: addere poteram librum Syriacum a Jacobo Edesseno scriptum esse; annalium Asiaticarum locum indicavit Ernestus Kuhnius.

LIPSIAE, FORMIS FR. ANDRAEI.